ACCADEMIA DI TORINO
R. ACCADEMIA DI MEDICINA

# ANTONII DE HAEN,

# RATIO MEDENDI.

## TOMUS SECUNDUS.

*PARTES IV. ET V. COMPLECTENS.*

# ANTONII DE HAEN,

*CONSILIARII ET ARCHIATRI*

S. C. R. A. MAJESTATIS,

NEC NON MEDICINÆ PRACTICÆ

IN UNIVERSITATE VINDOBONENSI

*PROFESSORIS PRIMARII,*

# RATIO MEDENDI

IN NOSOCOMIO PRACTICO.

## TOMUS SECUNDUS,

*PARTES IV. ET V. COMPLECTENS.*

Accedit ejuſdem Autoris de COLICA PICTONUM Diſſertatio.

PARISIIS,

Apud P. F. DIDOT, Juniorem, Bibliopolam, ad Ripam Auguſtinianorum, propè Pontem Sancti Michaelis, ſub Signo Sancti Auguſtini.

M. DCC. LXI.

*Cum Approbatione, & Privilegio Regis.*

# AUGUSTISSIMÆ
## ROMANORUM IMPERATRICI,
# MARIÆ THERESIÆ,
## Dominæ ſuæ Clementiſſimæ,
## ANTONIUS DE HAEN.

*EN jam quartum Tomum annui laboris ad Majeſtatis tuæ pedes devolutus, humillimè depono. Ob. ſervata continet numeroſa, quæ partim Noſocomium tuum, partim Urbs Regia tua, partim denique finitimæ tuæ urbes ac regiones ſuppeditarunt: obſervata eum unicè in finem collecta, ut calamitatibus ſubditorum tuorum tum averruncandis, tum mulcendis, tum denique auferendis inſervirent. Eò enim, ut ſane debuit, omnis diurna mea, omnis nocturna tetendit vigilantia. At neque hîc metam fixi laboribus. Quantum enim legendo aſſequi poteram, quidquid celebres per Europam Eruditorum Societates variæ,*

*quidquid demùm privatum Literarum Commercium, ſive inſolitum, ſive planè novum, ad miſerias humanas mitigandas auferendaſque evulgarant, id omne ad experimentum in Noſocomio revocatum eſt; ut nimirùm Populi tui ſalus, commiſſa nobis, eo cuncto gauderet auxilio, quo & alias terrarum Gentes gaudere intellexeram. Necdum tamen omni debito ſatisfactum. Vetus Adagium fert Amicorum omnia communia eſſe: porrò univerſæ Telluris incolas amicos noſtros, noſtros proximos, reputamus; eorum ergo in gratiam publicæ lucis ea facere tenebar, quæ nobis recenter detecta, alicubi fortè adhuc ignorarentur. Hiſce, AUGUSTISSIMA IMPERATRIX, ſi quo ſereno vultu præcedentibus conatibus meis annuere ſolebas, etiamnum annuas, erit quod exſultem vehementer, quod gratiſſimo recorder animo, quod ad curſum ſequentem alacriùs abſolvendum me potenter exſtimulet.*

Dabam 31. Octobris 1759.

# ELENCHUS CAPITUM

## *Tomi II. Partes IV. & V. complectentis.*

### *PARS QUARTA.*


CAPUT I. De Febribus malignis dictis, *Pag.* 1

CAP. II. De Aneurysmate. 7

CAP. III. De Tympanitide, & Hydrope Cystico varia. 47

CAP. IV. De Coxario morbo. 101

CAP. V. De Apoplexiâ, & Nervorum morbis. 131

CAP. VI. De Sanguine & calore humano. 161

CAP. VII. Singulari quorundam medicamentorum virtute. 180

CAP. VIII. De Viribus Electricis. 194


### *PARS QUINTA.*


CAP. I. De Febribus cum Exanthematibus, quæ Petechiæ & Miliaria vocari solent. 205

CAP. II. De Hydrope & Tympanitide. 230

CAPUT. III. De Hydrope Pectoris, *pag.* 253
CAP. IV. De Epilepsiâ & Convulsionibus. 286
CAP. V. Calculo, *Uvâ Ursi*, Lithontripticis dictis, &c. 304
CAP. VI. De Aneurysmate. 336

## *DE COLICA PICTONUM DISSERTATIO.*

CAP. I. Sistens Authores qui hunc morbum tractarunt, atque eorumdem omnium generale argumentum, *pag.* 2
CAP. II. Exhibens Colicæ hujus descriptionis & curationis methodicè tractandarum specimen. 19

ANTONII

# ANTONII DE HAEN RATIO MEDENDI.

## PARS QUARTA.

### CAPUT I.

### De Febribus Malignis dictis.

§. I. *Malignitatem de morbi cujuſquam acuti eſſentiâ non eſſe, ſed modò accidens quoddam, probatur exemplo variolarum.* §. II. *Cortice Peruviano plurimo qui olim à morbo maligno curati, valent pulchrè omnes.* § III. *Exempla duarum fœminarum, quarum alteram Cortex ſervavit uberrimâ cum Petechiarum expulſione; alteram, cum earumdem præmaturâ retropulſione.* §. IV. *Cortex ſeriùs datus, malignitatem non curat.*

§. I. Quæ anno proximè elapſo adeò fusè de Febribus, quas malignas vocant, diſſerui, ea præſens annus con-

firmavit abundè; tum quantùm ad genium earum adtinet, tum quantùm ad curam.

Quippe *Part. 3. cap.* 1. frequentiâ obſervationum ſuffultus, concluſi Malignitatem haud eſſe, quod in ſcholis medicis ita vocant, de eſſentiâ morbi, ſed quoddam potiùs accidens; quod nimirum alienis illum ſtiparet ſymptomatibus, quod Artis potentiæ illum ſubtraheret. Id, niſi me animus fallit, manineſtum eſt. Variolas v. g. deſcripturi Authores, hand ſolent ab illis, malignas quas appellitant, exemplar, normamve, deſumere, ſed à communi illarum genere. Quo facto, primò eam addere ſpeciem conſuevere, quâ licet genuinâ, qui laborant, tamen vix lectum petant, non ægrotent ferè, & præter manifeſtam papularum expulſionem, maturationem, exſiccationem, aliud ferè morbi hujus ſignum non habeant. Secundò peſſimum iſtud genus adjiciunt, quod ſymptomatum numero, ac ſævitie; quodque pertinaci adversùs omnem Artis operam reſiſtentiâ, ita ſuâ malignitate ab illâ prædefinitâ communi ſpecie abludit, quàm benigniſſimum illud bonitate, ac lenitate ſuâ, ab eâdem differebat. Ut itaque & dicta illa malignitas

æquè parum in verâ ideâ, ac definitione Variolarum includatur, quàm miranda illa mitiſſimarum benignitas.

Quod ſi ita cum variolis eſt, eo magis id cum petechiis, cum albis, rubriſque miliaribus, ſe ſic habebit. Examine ritè inſtituto, effloreſcentiæ hæ binæ 1°. ut morbi primarii producuntur: id verò rariùs, & ad certas potiſſimum epidemias duntaxat. 2°. Ut acutorum criſes: quod etiam rarò admodum; nec niſi regiminis errore frequentiùs. 3°. Ut ἐπιγενόμενοι pleriſque morbis acutis, puerperio; quæ duo poſteriora de Variolis affirmari nunquam poſſunt. Porrò quæ tria hîc dixi, audacter aſſevero, cum ſexto jam anno huic Noſocomio præpoſitus, innumeros acutos morbos hîc jam demonſtraverim, tractaverim, & ter modò quaterve primarium invenerim, ſemelque modò epigenomenon. Quotieſcumque verò morbum hunc primarium in urbe, ſuburbiiſque inveni, epidemico id tempore fuit, niſi ſemel fortè iterumque ſporadicè. Cæterum verò, experientiâ multiplici fretus, repeto id, quod *Part.* 1. & 3. *Rat. Med.* ſat ſuperque, ni fallor, evici, Morbos hoſce à malo potiſſimum regimine proficiſci, & hinc *Germanis*,

*Hungaris*, *Bohemis*, *Sclavis*, *Styris*, &c. tantâ frequentiâ ac malignitate infames esse.

§. II. Ad relatas *Part. 3. cap.* 1. curationes, id modò addendum habeo, quòd omnes illi, quos Cortice Peruviano abundantissimo usos ibidem enarravi, hucusque perbellè, cujuscunque demum temperamenti sint, valeant; & quibus mobilior Nervus imbellem olim valetudinem conciliasset, jam longè valentiore sanitate fruantur.

§. III. Pulchras hoc anno hujus morbi curas vidi. 30. annorum fœminæ, petechiis adeò scatenti, ut Medici alii mecum testarentur repletiorem iis se neminem vidisse, jamque malignè ab ipso principio decumbenti, consuetâ methodo corticem dedimus, corticis usum à curato morbo dudum protraximus. Læti contemplabamur postquam aliquot diebus eo remedio usa esset, vires increscentes, ægramque cum abundantissimâ efflorescentiâ vix ægrotantem, & firmâ valetudine brevi potitam.

Contra verò æquè fortunatum exemplum, cum retrocessione petechiarum, Juvencula dedit, quæ sex septimanarum spatio febrium insultu vago, universâque artuum lassitudine, suum inter

famulatum vexata, febrim deinde continuam putridam, (incertum aliquot diebus, octo tamen ad minimum) perpessa, ad nos adferebatur, multâ jam scatens Petechiâ. Postridie iisdem repleta omninò fuit. Eo usque nec vires, nec pulsus, nec febris, nec pravum quodquam symptoma, ullam faciebant malignitatis suspicionem. At verò post meridiem, en maligna quæque symptomata, cum introcursu macularum, turmatim accesserunt. Cortex igitur illicò datus, admota vesicantia, paregorica per vices sunt porrecta. Hinc sequenti quidem die paucus macularum reditus, copiosior post meridiem, tertio autem die vix ullus; nisi quòd eorum loco decem Miliaria alba in jugulo colloque comparerent. Interim quæ paucæ superfuerant petechiæ latescebant: quæ pauca Miliaria comparuerant, mox opaca fiebant, quarto die evanida. Vomitus eodem tempore primò æruginosus, dein frequenter flavus, insigni aderat levamine. Porrò febris, postquam integro octiduo sub tanto corticis usu perseveràsset, cessavit integram sanitatem post se relinquens.

In penultimo exemplo Corticis sub usu confertissimæ, quæ præextiterant,

petechiæ, adhuc augebantur, & extantibus hiſce ſanitatem jam afferri cortice lætabamur; id quod in his morbis ſolemne eſſe *Part. 3. cap. 1.* pluribus exemplis demonſtraveram. Ultimum exemplum omnium primum eſt, quòd obſervavi, petechiarum introverſarum, nec cortice, nec opio, redeuntium, Miliariumque numero tam paucorum, & quarto jam die evanidorum. Æquè tamen & cita, & integra, huic, quàm illi, ſalus rediit. Numquid introverſus humor vi corticis ad ſyſtema cæliacum determinatus, & ſic vomitu eliminatus fuerit? Credibile.

§. IV. Quamvis porrò hæc methodus rum mihi feliciſſimè cedere ſoleat, aliiſque in noſocomiis impensè laudetur; eſt tamen quòd ſerò adhibita mortem non averruncet. Puella 17. annorum, cujus hiſtoria *Capite de ſanguine* habebitur, primis decem ægritudinis diebus penitùs neglecta, ad nos adfertur, petechiis in pectore plena. Conſuetâ quidem methodo petechiæ pulchrè per ſex integros dies perſiſtere, attamen febris continua remittens, eaque valida, die decimo ab ingreſſu ejus in Noſocomium, ſuſtulit illam. Quippe inertiores corticis vires, quàm ut humores

jam

jam intimè hâc malignitate penetratos & infectos repurgare emendareque possit.

## CAPUT. II.

### De Aneurysmate.

§. I. *Cum nullus ferè locus humano in corpore sit, qui Aneurysmati, internâ de causâ genito, sedem non præbeat, loca præcipua enarrantur.* §. II. *Varia circa Aneurysma: unicum existens duplex potest apparere; intus sæpè osseum est; loco potest mutari; est simplex ejus & multiplex saccus.* §. III. *Anatome Aneurysmatis cordis.* §. IV. *Solutio problematum,* α *Cur unum Aneurysma simplicem modò tunicam, eamque tenuem habeat? aliud crassissimam? aliud denique & pluribus, & sæpè concentricis sibi lamellis compositam?* β *Cur manu frequentiùs examinare haud tutum?* γ *Cur sæpè non pulset?* δ *Cur locum mutet?* ε *Cur licet semper præsens, tamen nonnunquam absens videatur?* η *Quare tremit aliquando?* §. V. *Curatio pallians & curans.* §. VI. *Bini notabiles casus Aneurysmatum, quæ idiopathica haberi po-*

*terant, & modò sympathica, aut deuteropathica erant.* §. VII. *Datur aneurysmatica totius ferè corporis Diathesis.* §. VIII. *Biga Aneurysmatum à malè administratâ venæ sectione ortorum.* §. IX. *Aneurysmatis ejusmodi externi curatio, quandoquidem compressione & interceptione perficitur, præprimis disseritur de Compressione; tam eâ, quæ, aperturâ factâ, Arteriæ immediatè incumbit, quàm illâ, quæ externè tantùm, citra aperturam adhibetur. Prior harum, usitata veteribus, postmodum neglecta, á Germanis, dein & à Gallis in usum revocata est, ab ultimis præterea Fungo Agarici decorata.* §. X. *Curatio in Nosocomio, aperturâ loci, adplicatione Fungi, compressione externâ, feliciter peracta est.* §. XI. *Tentamen curæ per solam externam compressionem.* §. XII. Fouberti *sententia circa spuriorum Aneurysmatum duplex genus.* §. XII. *Responsum ad tria problemata.*

§. I. CUM nullus ferè in corpore humano locus sit, in quo Aneurysmatis sedes inventa non fuerit; cum idem

Aneuryſma ſub larvâ aliorum tumorum haud rarò apparens, turpiter fallat incautos; cumque demum præſens creditum, nihilominùs aliquoties minimè adfuerit: frequentia obſervationum, quâ inſtructus ſum, me adigit ut de hâc materie fuſiùs agam. Ac primùm quidem dico Aneuryſma ubicumque inveniri locorum; externâ ſive causâ, ſive internâ, genitum fuerit.

1°. In Cubito, ſeu Brachio, frequenter obſervatur à malè adminiſtratâ venæ ſectione.

2°. Circa Talum à causâ internâ, ut videtur, ortum, vidit, deſcripſit *Ruiſchius* Obſ. anat. 38. „ Si ſanguis in „ Aneuryſmate coagulatur, nulla per„ cipitur pulſatio. Hoc olim decepit „ Chirurgum expertiſſimum, .... mihi, „ dum viveret, amicum familiarem; „ qui circa talum Aneuryſma, nucis „ juglandis magnitudine, aperiebat, „ neſciens tamen tumorem dictum „ Aneuryſma eſſe, quia omnis pulſa„ tio deerat. Aperto tumore, & ſan„ guine coagulato expreſſo, tanta ſub„ orta eſt hæmorrhagia, ut vix eſſet „ ſiſtendo “.

3°. In genu vidit clariſſ. *Boerhaave* in Studioſo *Germano*, quem ſeriò mo-

nuerat, ne unquam, quòd non pulsaret, cuipiam aperiendi facultatem faceret. Fecit tamen & periit.

4°. In Arteriâ popliteâ horrendum vidi, à saltu verosimiliter natum. Crus amputandum fuit.

5°. In Arteriâ femorali terribile, letale, vidi in orphanotrophio *Hagano*, vulnere ortum.

6°. In Art. Iliacâ, *Lancisius*,

7°. In Aortâ mox supra illius in iliacas divisionem vidit *Fantonus* Tom. 3. *Sepulchr. Boneti*, pag. 556.

8°. In Cæliacâ Art. *Lancisius*. Studio omitto Aneurysma ter quater in Art. Mesentericâ Equi à *Ruischio* inventum, cum hîc de humano corpore tantùm differitur.

9°. In intercostali art. exili *Ruischius* ter quaterque vidit Aneurysma, ovi gallinacei magnitudine. Vulneri originem aliquando id debet, passim verò causis internis.

10°. In Subclaviâ, à contusione natum vidit Illustr. Baro *van Swieten*, Com. Tom. I. p. 228. Subclaviæ Aneurysma homini mortem tussi & hæmoptoe conscisit. Anatome detexit Aneurysma hoc asperæ arteriæ accrevisse, spatium intercartilagineum erosisse, & omnem vi-

talem ſanguinem hinc profudiſſe. vid. *Hiſt. Acad. Reg. Sc. Par.* anni 1733.

11°. In Aortâ inter primas ejus diviſiones, & Cor. *ibid.* ann. 1712. Etiam illud monſtroſiſſimum *Ruiſchii* Obſerv. anat. chir. nº. 38. incipiebat digitis tribus ſupra cor.

Et mox ſupra cor incipiebat *compoſitum* illud Aneuryſma, cujus hiſtoriam brevi dabo.

12°. In curvaturâ Aortæ. *Hiſt. Acad. Reg. Sc. Pariſ.* an. 1707. Aneuryſma naſcitur homini in collo, poſt enormem 5. dierum vomitum, quem Agyrta, rheumatiſmi diſcutiendi gratiâ, excitaverat, produxerat. *Littreus* in cadavere ejus invenit Aortam ſuâ in curvaturâ in ſaccum dilatatam, qui mediâ ſui parte in thorace locatus, cariem oſſibus creaverat: dein aliâ ſui parte ſuperiora conſcendens, totum latus colli, aduſque maxillam expleverat. Multos polypos, & ſanguinis, tum fluidioris, tum coagulati, duas eduxit pintas. Videatur ſimile *ibidem* anno 1700. natum à ſubito flexu colli in venatu.

13°. In Arteriâ Epicraniâ Aneuryſmæ vidi ovo gallinaceo magnitudine par, felici interceptioni interfui. Contuſione natum erat.

14°. Cæterùm Aneuryſmata inventa ſunt arteriæ temporalis, arteriæ in naſo externo, aliis corporis partibus, ut paſſim inveniri poteſt in Sepulchreto *Boneti*, in Biblioth. med. *Mangeti*, &c.

15°. Aneuryſmatica datur plurimarum eodem in corpore arteriarum diatheſis, ut §. VII. patebit.

Unde concluſio hæc firma ſit, quòd in tractandis hiſce ſummâ ſit prudentiâ opus, cum ubique locorum exiſtentia, pathognomicis ſignis aliquando careant, facillimèque aliis cum tumoribus commiſceantur.

§. II. Atque hæc de variâ ejus ſede ſufficiant; conſideranda nunc veniunt obſervata quædam de Aneuryſmate in genere; ac primò quidem obſervamus illud duplex quandoque adparere, cum tamen verè unicum ſit. Egregius *Morand*, *Hiſt. Acad. Reg. Sc. Par.* ann. 1721. tumorem aneuryſmaticum detexit alteram inter tertiamque coſtam; alium iterùm tumorem ſimilem inter tertiam & quartam. At in cadavere unicum modò eſſe deprehendit, ſed à coſtâ tertiâ intropreſſum, & vi ſanguinis protruſum infra, ſupraque eamdem.

Secundò, Aneuryſmata inveni bis intus oſſea, non quidem continuitate,

ſed veluti per inſulas difformes. Magni *Wepferi* Aorta ſic inventa eſt, ut tabula vitæ ejus præfixa exhibet. Plurimi alii id ita invenerunt.

Tertiò, Aneuryſma loco mutari poteſt, ut diſparuiſſe quis crederet, niſi revera adeſſe ſymptomata demonſtrarent. En notabile exemplum! Subtiliſſimus Anatomicus, præſtantiſſimus Medicus, candidus amicus meus C. H. *Velſe*, egoque, anno 1753. quinquagenariam mulierem ſæpiùs examinavimus, cui citra manifeſtam cauſam inter 2. & 3. coſtam, ad læva ſterni Aneuryſma aderat. Id tamen integro ante mortem menſe penitùs delituit, ut videretur diſparuiſſe. Symptomata tamen continuabant. In cadavere Aneuryſma inventum, quod angulum Aortæ dictum occupans, tres fortè pugnos magnitudine æquaret. Tunicas habebat haud craſſas, ſed veluti lamellas albicantes, haud cohærentes inter ſeſe, ſed quaſi alias ad alias adpoſitas, quo magis internas, eo magis fuſcas. Nucleus ſacci, grumoſus ſanguis erat, ita tamen ut nonnihil ſpatii in eo pervium eſſet, quo ſanguis, corde miſſus, per Aortam deſcendentem transfflueret.

Quartò, ſunt aliquando Aneuryſmata

compoſita, ut haud ita pridem publicè demonſtravi. In noſocomio dicto *Becken-hauſel*, in viri cadavere invenerat mirum hoc ſpectaculum expertiſſimus ibidem Phyſicus *A. Storck*, vir ad illuſtrandam ſectionibus anatomicis Medicinam natus; dumque rari utiliſque quiddam invenerit, quo univerſum ſtudium medicum inde promoveatur, id intactum ad me mittere ſolitus. Porrò Aneuryſma iſtud erat in Aortâ ab ipſo corde inchoans, & ultra curvaturam pergens, oſſeis inſulis craſſioribus inſtructum. Ubi nunc Aorta ex curvaturâ in rectum eſſet abitura, removebatur ſenſim à dorſo, ita ut demum inde ad duos pollices latos aberraret. In causâ erat ſaccus, ex poſticâ parte ejuſdem Aortæ deſcendenris enatus, orificio pollicis diametrum habente. Porrò ex hoc orificio creſcens ſaccus, habebat quatuor pollicum longitudinem, craſſitiem verò binorum, explebatque accuratè cavum, id quod dorſum inter aortamque intereſſet. Quod verò adhuc mirabilius, inter quartam & quintam coſtas idem ille ingens ſaccus primò removerat, valido pulſu ſuo, haſce à ſe mutuò coſtas, intercoſtales muſculos deleverat, tumque inter re-

motas ad ſeſquipollicem à ſe mutuò has coſtas tranſeuns, mox ſupra eaſdem explicaverat ſe in ſaccum manui integræ magnitudine parem. Neque veſtigia invenire fuit muſculorum dorſi ſecus ſpinam, & ultra; craſſa demum ſubſtantia, eademque fungoſa hunc ſaccum externum demum terminabat. Ipſe verò ſaccus, dudum ante mortem haud pulſans, cruore grumoſo atro, tum intra, tum extra thoracem, totus infarctus fuit. Haud multùm diſſimilem caſum doctiſſimus *Noordwyk* habet in Præfatione ad *Franciſci Solani Obſ. de Pulſu.*

§. III. Ut arteriarum & cordis Aneuryſmata dari, tum paſſim Scriptores Medici, tum præprimis *Lanciſius*, & denique Ill. noſter Præſes *in Comm. Tom.* 1. ad §. 176. pluribus evicere exemplis. Addam quæ viderim ipſe. Nauta, vir mediæ ætatis, levi ſarcinâ onuſtus, iter unius horæ pedes confecerat, indeque perceperat cordis palpitationes. Venæ ſectio interim, lenia ſolventia, blanda neurotica, effecere, ut conſcendere denuò, ac gubernare navim poſſet. Ter quater in anno recruduit quidem paroxyſmus, ſed ad eadem auxilia iterùm conticuit. Intermedio verò tempore,

atque id quidem integri quadriennii ſpatio, ab omni incommodo immunis fuit; leviſſimâ mali admonitione, ad majores animi corporiſque motus, tantummodò perceptâ. At verò quinto demum anno continuarunt inſultus. Quum igitur tribus ferè menſibus vix remiſiſſent, Exp. *Velſe*, ordinarius ægri Medicus, qui ſuis in difficilioribus me, ut ego illum, amicè conſulere ſolebat, ad ægrum me adduxit. Horrui ſanè hominem videns, lividum, anxium, inæqualem habentem, ac tremulum, pulſum. Et ſi ipſi manus ad præcordia, ad ſternum, ad 7. & 8. ſiniſtri lateris coſtam, præcipuè verò earum ad arcus, admovebatur, percipiebamus inæqualem, tremulum, ingratumque penitùs motum? exceptis ſex ultimis vitæ diebus, quibus nullus unquam pulſus obſervari potuerat.

Cadaver luſtrantes multam invenimus in cavo pectoris dextro, putremque aquam, ac pulmonem, medio lobo excepto, totum ferè purulentum; in ſiniſtro verò cavo pulmonem à corde maximo ita compreſſum, ut aëra ægerrimè capere potuerit. Cor enim ad minimum triplo majus ſolito erat, mucrone quàm baſi latius. Omnium autem maximus

ſiniſter ventriculus, ad mucronem ampliſſimus, at verò extenuatus adeò, ut levis modò membranula albeſcens, facilè diſrumpenda, ibidem ſupereſſet. Cæterùm ſanguis concretus, vehementerque tum polypoſus, tum cordis parietibus, columniſque accretus, cavum hoc explebat. Cordis verò dexter ventriculus, & binæ auriculæ, ſinuſque, arteria pulmonalis, utraque cava vena, polypos firmos longoſque continebant.

§. IV. Sed ne longus ſim, ſufficiat hæc exempla attuliſſe, ut vera Aneuryſmatum idea habeatur. Collectores caſuum quidem, *Borellus*, *Schenckius*, *Paræus*, *Hildanus*, *Bonetus*, *Mangetus*, plurima exempla attulere; verùm cum ad præcedentia jure referri queant, recenſio eorum non uſui, ſed oneri foret. Practicè modò ex iis agendum eſt.

Ac primò quidem quæritur, cur multa Aneuryſmata tenues tunicas, alia craſſiores, alia denique eaſdem lamellatim diſpoſitas habeant? Polypoſus ſanguis ejus eſt naturæ, ut ejuſdem adplicatione tunica arterioſa adpareat longè craſſior. Deinde ipſæ arteriarum tunicæ à ſe mutuò diſcedere queunt, gerantque nonnunquam inter ſeſe ſanguinem in lamellam compactum. Tandem in de-

generatione partium, ut alibi, ita & hîc, novæ membranæ ex veteribus enascuntur, ejuſdem ferè cum naturalibus ſubſtantiæ. Veſicam felleam inveni in ſeptem loculos membranoſos diviſam, quorum quiſque magnum gereret lapidem. In antiquis herniis vidi Operatores ſudantes, dum 10. 12. 20. & plures membranas ſolvere deberent, priuſquam verum peritonæi ſaccum attingerent. Ubi verò ſanguis modò in ſacco grumeſcit, vel potiùs paulò tantùm ſpiſſior fit, tunicam mole non auget, ſed extendit duntaxat, idque nonnunquam adeò, ut ruptura ſubſequatur letalis.

Secundò. Cur haud adeò tutum Aneuryſma frequentiùs tractare manibus, & curatiùs examinare? Pluribus de cauſis. 1°. Quia eo modo reprimimus ſanguinem versùs cor, caput, &c. unde haud rarò ingentes anxietates, ſuffocationes, vertigines. 2°. Quia filamenta, aut fragmenta polypoſa, preſſione ad arteriæ axin ducta, impetu ſanguinis facilè abripiuntur, inque vaſa minora impulſa, circuitum humorum in iiſdem intercipiunt. 3°. Quia ſic tunicæ teneriores ſolvi queunt, letalemque hæmorragiam producere.

Tertiò. Cur ſæpè non pulſat Aneu-

ryſma? 1°. Quia ejus tunicæ ita incraſſari poſſunt, ut impulſi cruoris effectus exteriùs non percipiatur. 2°. Quia tanta tunc adeſt in ejus ſinu grumoſi ſanguinis copia, ut pulſus ſuffocetur. 3°. Quia ſenſim impellentis cordis vires minuuntur; unde licet reliquis in arteriis pulſus quiſquam percipiatur, vires tamen cordis debiliores ſunt, quàm ut per incraſſatas tunicas, ſanguinemve concretum, pulſum exteriùs percipiendum producerent. Jam ſimile quid ſuſpicatus *Parœus* erat.

Quartò. Undenam Aneuryſma ita loco mutari poſſit, ut antiquâ in ſede ultra non inveniatur? An non ubique ligamentis enatis ad vicinas ſe partes annectat? Aneuryſma, ita loco mutatum, internum fuit, ut pag. 13. patuit. Hinc magnum illud, ac ponderoſum, dum in parte aversâ ponderis forſitan augmentum fit, eo versùs totâ mole propendeat, antiquæ ſedis ligamenta elonget, eamque vacuam relinquat, oportet. Caſum hunc noviſſe juvat, ne forſan relationem manifeſti Aneuryſmatis dubiæ finedei habeamus, illud ultra non invenientes. Quamquam ſymptomatum perſeverantia cum anamneſi priore conjuncta, Aneuryſmatis præſentiam abun-

dè demonſtret. Mutatione autem loci hoc Aneuryſma fœminæ multò moleſtius fuit, cum moles quondam foràs extans, jam verò introverſa, reliqua magis premeret, augeretquę vitalia. Quâ ipsâ de causâ compreſſio artificioſa mortem acceleravit Canonico, de quo *Lanciſius* Part. 1. Lib. 1. cap. 2. prop. 28. Quare cum eodem Authore concludimus quaſcunque externas Aneuryſmatum compreſſiones fatales eſſe, niſi oſſe probè ſuſtineantur: tum quòd hinc cavum internum anguſtetur, tum quòd Aneuryſma interius nunc minùs ſuffultum, facilùs fundatur.

Quintò. Quæ cauſæ, quòd Aneuryſma cordis aliquo tempore Nautam vexaverit? & notabili iterùm tempore non vexaverit? Cur iterùm elapſo quadriennio continuò ipſi moleſtum fuerit, ac mortem tandem intulerit?

Inchoans cordis debilitas, principium Aneuryſmatis illius ponens, venæ ſectione, diluentibus paregoricis, & quiete emendata fuit, ut jam inter vim impulſorum humorum, & contrahentis ſe cordis, æquilibrium reſtitueretur. Plethora poſt aliquot menſes elapſos renata, ſuperabat denuò debilioris cordis vires: hinc renata ſenſim Aneuryſmatis

ſymptomata. Cura autem eadem æquilibratam poteſtatem reſtituens, ſymptomata abegit. Ita potuit hâc curâ pallante homo ille quatuor annos illos ſat commodè tranſigere : *palliante*, aio; cum cor ſemper debilius exiſtens, quàm ut aliquam plethoram promoveret, proegumenam cauſam futuri Aneuryſmatis perpetuò in ſe gereret. Demonſtrabatque hanc proegumenam cauſam, levior ille morbi reditus, ad rarefactos, adeòque ſibi ampliùs poſcentes, in animi ac corporis validiore motu, humores; rarefactione ceſſante denuò pacatus. Ultimis verò tribus vitæ menſibus debilitas hæc cordis tantopere increvit, ut ultra ſe contrahere non valuerit, ſed amplificari ſeſe, extenuarique, vi & pondere ſanguinis, permiſerit; unde vitæ perfecta eſt orta quies.

Quintò. Undenam tremor explorante digito perceptus, &, ſi aliquantum continuatur, ingratus Aneuryſmatis, præcipuè ejus quod in brachio eſt? Iſque tamen in uno, quàm in alio major? Difficilis eſt problematis ſolutio, ſed ad finem, enarratis primò aliquot practicis caſibus, facilior fortè patebit reſponſio.

§. V. Morbi atrocis nunc proponenda

cura eſt, eaque ſive perfecta, curatoria dicta, ſive pallians tantùm. Ac primò quidem ea Aneuryſmatis interni.

Si undique colligamus obſervata, & omnia unquam data remedia; ſi quæcunque dicta ſpecifica; ſi ſucceſſus bonos, tam celebratos Antiquis, quàm nobis obſervatos expendimus; clarè comprehendimus cardinem rei verſari in eo totum, ut quod ſolida inter fluidaque deſideratur, æquilibrium reſtituatur. Dum id reſtituit Medicina, vel *curativè* id facit, vel *palliativè*. Palliativè, ſi, reſtituto æquilibrio, cor, arteriave, debilis eſſe perſeveret, ipſumque æquilibrium reſtitutum non ſit, niſi copia imminuta humorum, ac morbus actutum redeat, dum vel copia, vel rarefactio, molem humorum iterùm auget. Cura verò curatoria ſive integra fit, ſi reſtituto palliativè æquilibrio, ars noverit debilitatis ſolidis priſcum robur reſtituere, amplificatis priſtinam reddere diametrum. Id & poſſibile eſſe, & nonnunquam præſtari, tùm ratio ſuadet, tum experimentum confirmat. Factâ enim ejuſmodi evacuatione, quæ æquilibrium ita reddit, quod olim ratione ſolidorum deficiebat, nunc potiùs ratione fluidorum aliquantiſper de-

fideretur ; fieri posse id videtur, ut solida contractilitate adhuc suâ donata, in priscam se formam restituant : præsertim si & copiosè & assiduò, tam alimenta quàm medicamenta ingerantur, quæ spissitudini polyposæ, in dilatatâ parte hospitanti, diluendæ, apta nata sint. Curæ feliciter peractæ jubent hæc aliquando fieri credamus. Cæterùm pallians cura, satis abundèque fortunatam seipsam existimaret, si nosset humores & paucitate & tranquillitate perpetuò ineptos reddere, ad tollendum æquilibrium. At verò, quandoquidem ita cum mortalibus est comparatum, ut sex rerum non naturalium usus nequeat semper æquè moderatus manere ; hinc cum redintegrantibus paroxysmis toties hi ægri luctantur, donec demum suffocati fatis cedant.

Sed in ipsâ curâ magna differentia. In nosocomio habemus, qui in antiquiore morbo, insigni levamine gaudeant ; habemus, qui in recenti vix gaudeant ullo. Ratio videtur suadere hos longè citiùs ad immedicabilem conditionem adolevisse. Dantur enim, quibus malum incredibile quantillo creverit spatio ! Ipse *Lancisius*, cum examinaret cadaver Vestiarii, quem Aneu-

rysma, à sterni contusione oriundum, intra anni spatium è vivis eripuerat, detexit anguli aortæ Aneurysma, Punicum malum magnitudine æquans, quod os sterni elevaverat, & carie penitùs excavaverat.

Cæterùm si utcumque medicabile malum est, humorum repetitæ evacuationes, sapones acidi, ut tamarindus, variorum fructuum acido Saponaceorum Rob dicta, nitrum copiosum, cremor tartari; & quia id hominum genus spasmis admodum torqueri solet, gummi ferulacea, & opium; diæta cæterùm blanda ex jure carnium tenuiore, carnibus tenuioribus, fructibus horæis, oleribus saponaceis; tum denique magna animi corporisque quies, calamitosum hunc morbum ad tempus notabile, sæpè etiam per annos, tolerabilem reddunt.

§. VI. Sed est alia adhuc ratio, hîc necessariò memoranda, cur in suscipiendâ horum ægrorum curâ minùs desperare debeamus. Quippe plures morbi hunc ipsum ita simulant, ut sæpè protopathicus esse credatur, quem vel ipsa curatio, vel cadaverum ad alias morborum causas rimandas examen, deuteropathicum duntaxat vel sympathicum

thicum esse demonstrent. Adeò quippe facilè hic morbus ludit medentes. En quæ ipse expertus!

Ætatis Centurio florentis, temperiei biliosæ, illibatæ quondam sanitatis, sed à triennio ad Melancholiam ex animi ægritudine dispositus, cœpit demum, anno 1757. ineunte, cordis palpitationibus vexari: quas eo tempore tamen Venæsectio ac Purgans, brevi & integrè sedabat. Æstate idem malum passus, eodem sanatus auxilio cessit. Operam navantes peritissimi Medici inanem, jure suspicantur vel Aneurysma cordis, Arteriarumve majorum, vel Polypos iisdem innatos, vel & geminum hoc malum, adeòque difficulter sanabile, hîc adesse.

16. Janv. 1758. in consilium vocor; quo die perbellè se habebat, sed animo corporeque adeò mobilis, ut à meo, quem anhelus expectabat, introitu & adspectu, gravissimum mox paroxysmum pateretur. Cor percipiebamus horrendè palpitans, Pulsum parvum, & admodum inæqualem, tussim cum sputo mucoso, lotium lateritio cum sedimine. Profectò teterrimi mali jam annosa diuturnitas, sedamen intermedium olim quidem habens, jam verò peren-

nis, peſſimiſque ſtipata ſymptomatibus, ideam, quam præſtantiſſimi viri de eo formaverant, omni ex parte confirmare videbatur.

Nihil enim mutare hanc ideam poterat immunitas aliquoties obſervata morbi, cujus cauſa mechanica crederetur perpetuò adeſſe. In Lienis, Hepatis, Ventriculi, Cerebri, morbis, intervalla optima obſervamus, dum interim in cadaveribus cauſam mali perpetui magnam, ſufficientem, eamque diuturnam detegimus. Imò in Nauta de quo antea actum, *pag.* 15. præſentem perpetui mali cauſam à morte deteximus, cum tamen cauſa hæc toties in vitâ effectibus caruiſſet. Nec tuſſis, Pulmonis affecti ſymptoma, huic ideæ contraria fuit, imò potiùs confirmabat eamdem; 1°. quia in Aneuryſmate circa Vitalia tuſſis ejuſmodi frequens nobis obſervatur. 2°. Quia ejuſdem dudum meminerat in hoc morbo *Lanciſius*; eamque validæ Pulmonum compreſſioni & irritationi, tumentibus Vitalibus oriundæ, adſcripſerat.

At verò cum in his decipi facile, praxiſque nos doceat, Vitalia nonnunquam tam validè ſecundariò affici, quàm ſi primariò afficerentur; cum præterea

*Boerhaave* §. 826. & ſeqq. Inſt. Med. notaſſet Palpitationes cordis violentas originem ſpaſmis aliquando debere, vel etiam « irritationi fibrarum cordis, » ab acri quodam ſtimulo factæ, ut in » cacochymicâ materie motâ » ſententiam aliquo modo lenivimus, dubiam protulimus, abjectumque ægri animum aliquantulâ ſpe erexímus.

Impugnare igitur malum iis intendimus, quæ cuicumque proforent cauſæ; ſaponibus acidis, nitro, neuroticis, opio. Quibus quidem proderamus utcumque, lucida tamen intervalla diris exacerbationibus turbari ſæpe dolebamus. Quin imò ruit in pejus malum. Pulſabant haud Vitalia modò, ſed & Abdominis viſcera. Interim miramur inſolitum phænomenon. Vomitus enim violentus, qui ex naturâ ſuâ hîc letaliſſimus videri debuiſſet, palpitationem ſedavit, pulſum æqualem reddidit, & tranſpirationem dudum abſentem reſtituit; non eâ die duntaxat, ſed ſex integris poſtmodum ſeptimanis. Interea tamen male ipſi fuit à tuſſi violentâ, ſiccâ, rebelli; à reſpiratione laboriosâ; à pulſu, citra palpitationem, inæquali, & nonnunquam, rariùs licet, intermittente. Sputa tandem craſſa, flavo-viridia

prodiere; à quibus tussis quidem mitior, sed notabilior languor, horror, frigus extremorum, & calores nocturni, anxietatesque enormes. Tussi demum cessante mobilis materiæ strepitus in pulmone exaudiebatur, perseverabat anxietas. Kermes minerale, & quotidianum clysma, hîc proderant.

Martii 10. expectoratione sponte cessante, dirus rediit, qui à 24. Januarii siluerat, Palpitationis paroxysmus; quem denuò vomitus, ut olim, sed non tam integrè, solvit. Vehementissimus autem Paroxysmus decimo ex illinc die recruduit. Epigastrium quoque ab aliquot retro septimanis intumuerat, jam verò totus venter tumidus, tensusque, deprehenditur. Cataplasma emolliens 3. Aprilis impositum profuit, successitque alvus flava quidem, sed multo glutine, multisque duris, & ex flavo viridibus fæcibus referta. Idem & 4. Aprilis contigit; sed eo cum eventu, ut vera jam accederet mortis imago: cordis pulsatio, virium collapsus, pulsus debilis, intermittens, atque omni modo inæqualis, frigus extremorum. 5. Aprilis Respiratio parva, inæqualis; pulsus exilis, intermittens, tremulus, facies verè *Hippocratica*. Dumque jam mors adsta-

re præ foribus videbatur, alvus prodiit libera, fœtidiſſima, nunc nigra, nunc virideſcens; idque eâ nocte octies. En verò ejus ſtupendos, effectus! Mox ceſſarunt quævis ſymptomata, vires ad horam crevere, & ſanitas tam citò rediit, ut 4°. Mâji gratias DEO acturus, Templum adiverit, meque poſterâ die cum ſuo ordinario Medico *Storck* inviſerit, perfectam ſuam valetudinem teſtatus, nec à conſcenſu 46. graduum, quibus ad me conſcenditur, vel quidquam defatigatus, aut anhelus. Manſit ipſi integra ſanitas, donec hyemali tempore, Milite ad bellica exercitia coaptando, in *Hungariâ* ſeſe defatigans, ægrotaverit, perierit.

Luculentiuſne exemplum haberi poteſt deuteropathici morbi, tam perfectè protopathicum æmulans? Atra bilis per vices mota varios hos paroxyſmos excitaverat. Atra bilis tota in motum ducta, mortis ad limina hominem duxit; integrè tamen expulſa, corpus reliquit ſanum. Partitim mota, vomitu expulſa eſt; mota integrè, alvo.

Eſt igitur exemplum ejus, quod laudato mox loco optimus *Boerhaave* de cacochymicâ materie motâ dixerat: ſed cum deuteropathicum, vel etiam ſym-

pathici adeò æmulum, à miris nervorum affectibus deducit, en ejus quoque manifestum exemplum!

Juvencula fœmina ad Nosocomium nostrum accessit, multis ab annis vehementi cordis palpitatione, anhelitu, anxietate præcordiorum, tussique vexata frequenti; artis interea opem frustra eo usque experta. Cum alvo ab octiduo careret, enema immitti jubeo, alia interim paraturus. Sed interim moritur. In cadavere publicè examinato vitales partes sanitatem illibatam adeò referebant, ut nihil illibatius. Neque quod toto corpore tam in solidis, quàm in fluidis accusaretis, quidquam erat; præter geminam, sed leviusculam, Pulmonis ad Pleuram adhæsionem, & tres lumbricos teretes in Ileo intestino. Porrò & cum his lumbricis, & cum longè latioribus Pulmonum adhæsionibus millenos homines sanissimè vivere, Anatomicis compertum est. Ut proinde cum *Boerhaavio* §. 826 concludamus: „ causa ejus plerumque est, inordinatus, „ & violentus spirituum vitalium in „ cordis villos impetus, &c.

§. VII. Porrò morbi hi aneurysmatici, eorumve simillimi, hîc loci frequentissimi sunt, multamque horum varie-

tatem exhibent. Sunt duo in Nosocomio homines qui, omnibus ritè perpensis, protopathicâ vitalium affectione laborare videntur, quibus tamen à validiore motu nec intermittat, nec remittat, nec inæqualis sit pulsus. Alterique horum, qui 17. annos natus, ex Hortorum fortè culturâ hunc morbum contraxit, jamque triennem habet, vehementissima cordis adest pulsatio, ut visu audituque percipiatur; Præcordiorum præterea, & ad arcus potissimum 3. & 4. costæ, ardor continuus; carotidum ambarum, totum collum concutiens, pulsus; tumor colli ingens pulsansque; pulsatio ad ambas inguinales tanta, ut tangentium digiti vi repellantur; pulsus ad malleolos tantus, ut dormientem continuò excitet, somnumve præprimis impediat; idemque ad temporales arterias observatur. Est igitur universalis ferè Aneurysmatica Diathesis. Egregii *Lancisii*, aliorumque Observatio, ponens, quo diuturniora validioraque Aneurysmata sint, eo locorum remotiorum arterias debiliores & exiliores esse, in hoc juvene proinde locum non habet.

§. VIII. Atque hæc sufficiant, ut quæ circa Aneurysmata interna nos nostra

obſervata docuiſſent, communicaremus. Supereſt modò Obſervationes itidem noſtras circa Externa patefacere.

Notabilia exempla horum duo in Noſocomio proſtabant hoc anno, ex imprudenti Venæ ſectione, reſiliente inſtrumento peractâ, nata. Fœminæ ambæ erant, juvencula, & Vetula. Vocabo utrumque Aneuryſma ſpurium. Præmonitos enim Lectores velim, me hîc loci haud immorari iis, quæ Viri egregii *Freind*, *Monroo*, *Foubert*, aliique, contra communem Aneuryſmatum in Spuria, ac Vera, diviſionem, haud abſque aliquo Rationum pondere, ſcripſerint: ſequar modò eam utriuſque definitionem, quam, poſt *Sennertum*, *Boerhaave*, Illuſtr. *Præſes*, & *Heiſterus*, adoptarint.

Aneuryſma hoc ſenſu ſpurium, homo, minimè Chirurgus, fœminæ juvenculæ conciliaverat in dextri brachii arteriâ humerariâ, mox ante ejus in Radiæam, & Cubitæam, diviſionem; quemadmodum in operatione patebat. Tremor modicus tangendo percipiebatur, & tumor ſenſim increſcebat. Pulſus in carpo debilis: idque ut poſtea patuit, naturaliter. Cum tumor augeſceret, operatio concludebatur; variarumque Me-

thodorum tum præstantiâ, tum periculo, ritè pensitatis, Compressio debita cæteris prælata est. Arridebat quidem interceptio, quod & felix sæpe, & Optimorum in arte gauderet suffragio; verùm cum nonnunquam id periculi involveret, ut circulatio sanguinis subjectâ in parte aut multum læderetur, aut penitus deleretur; cumque è contrario artificiosa compressio quoad curam æquè secura esset, nec hisce tamen sociata periculis, hanc ipsi prætulimus. Et porrò paucis super illâ differendum.

§. IX. Compressio Aneurysmatum, quæ ossa sibi subjecta habebant, stypticorum suffulta auxilio, multo Priscis in usu, eviluerat; quòd inanis, quòd usu cassa, quòd etiam aliquoties damnosa esset inventa. Industria verò humana, tandem periculis edocta, & infortuniis monita, didicit hanc ipsâ interceptione præstantiorem reddere.

In commercio Literario *Norimbergensi* anni 1732. pag. 107. & seqq. optimus *Hamberger*, in inclytâ Academiâ *Jenensi* celeberrimus, ac verè doctissimus Medicinæ Professor, curationem Aneurysmatis spurii felicissimam cum publico communicavit. Aneurysma hoc ignarus omnino Chirurgus, Venam Ba-

silicam tundens, produxerat ; pertusæ arteriæ manifestissima cæteroqui signa ne advertens quidem. Curatio hæc peracta est primò adpositione comprimentis arteriam humerariam funiculi, dein sufficiente dilatatione loci affecti, & denique adplicatione chartæ masticatæ, liquore styptico *Deppelii* madefactæ, ad ipsum Arteriæ vulnus : ita quidem, ut chartæ masticatæ lamina prima minima esset, altera paulò major, tertia major priore, & sic porrò ; donec sufficiens laminarum altitudo haberetur, quæ circumductis fasciis aptè ad vulnus appressa maneret : adstringente interim pulvere totum explente vulneris cavum. Publicâ disputatione Doct. *Emrich Jenæ* 1734. hanc curam propugnavit.

Vir eruditis omnibus carus *C. S. Trew, S. C. Maj. ut & S. March. Onoldino-Brandenb. Consiliarius & Archiater, Reip. Norimb. Phys. ordinarius, Senior, Comes Palat. cæsareus, S. R. I. Nobilis, Acad. Cæsar. N. C. Director, Reg. Soc. Lond. & Berol. Scient. Socius*, in Eph. N. C. vol. 8. Obs. 126. similem *Hambergerianæ* curam *Norimbergæ* anno 1747. exoptatissimo cum successu intra mensis spatium perfecit. Anno 1748. eâdem cum felicitate curam hanc repetivit, &

*Eph.* N. C. vol. 10. descripsit. Ad aneurysmatum verò imprudenti venæ sectione oriundorum intellectum, & curam, egregias, atque ad ipsam Naturam expressas, Tabulas tres addidit, unà cum nitidissimâ earum expositione.

Exp. Chirurgus *Foubert* Acad. Reg. Chir. Socius, dedit de Aneurysmate Dissertationem in Tom. II. *Actorum* ejusdem Academiæ, in eâque laudavit compressionem externam in recenti, parvoque Aneurysmate: in majore autem & utcumque vetustiore suadet, suoque exemplo comprobat operationem. Operationem autem hanc, si est Arteriæ truncus, merâ compressione perficit, ut ita evitentur infortunia, quæ Ars aliquando post interceptionem luget; sin autem vulnus in Ramo est, intercipit illum, ligatque. Haud bene capio, cur Ramum etiam compressione curandum non suscipiat, si Truncum tutò noverit compressione curare; sed hæc non sunt hujus loci. Illud autem ex hâc dissertatione patet, quòd Autor suam operationem primo Chartâ masticatâ peractam describat anno 1732. non adjungens quo præcisè anni tempore. Porrò eodem anno publicæ lucis curationem suam fecit Cl. *Hambergerus*,

quam exeunte anno 1731. perfecerat. *Foubertus* verò ſua non edidit niſi anno 1753.

Igitur compreſſio Arteriæ pertuſæ, celebrata Veteribus, feliciter peracta à *Sculteto* anno 1631. primò compreſſione trunci, tum ſpongiâ uſtâ, adſtringentiſſimo pulvere conſpersâ, ad vulnus Arteriæ admotâ, dein conveniente ligaturâ firmatâ, & denique artificiosè excogitato inſtrumento, quod ipſum D. *Morand.* Tom. 2. *Act. Ac. Ch.* impensè laudat, adpreſsâ; Hæc, inquam, compreſſio à *Dioniſio*, ab *Heiſtero*, aliiſque commendata, deinde à Cl. *Hambergero* anno 1731. facta, & 1732. promulgata; anno 1732. à *Fouberto* primùm *Pariſiis* inſtituta quidem, at verò non niſi 21. poſtmodum annis cum publico communicata eſt. Interea temporis *Cl. Trew* bis hanc curam perfecit, longè antequam ille Acad *Pariſ.* Tomus ſecundus in lucem prodiit.

In hoc porrò tomo duæ eruditæ Diſſertationes de Aneuryſmatis curatione habentur; quarum altera laudata jam ſæpius illa *Fouberti* eſt, altera celeberrimi in arte *Morandi: Morandiana* hæc præter alia id novum habet, quod ad *Agaricum* pertinet. Nempe poſtquam

Chirurgus *Broſſard* arcano ſe pollere indicaſſet, quo Arteriarum hæmorrhagiam quamcumque tutò ſiſteret, tentamen ejus & adplicatio facta eſt finiente anno 1750. idque in arteriâ brachiali gladio pertusâ. Arcanum ſuum Chirurgus adplicuit vulneri: quo facto, ſimplici ligaturâ curabatur ſpatio menſis id Aneuryſma. Erat autem arcanum hoc remedium *Fungus Agaricus pedis equini facie*. Ter jam ſibi experimentum ſucceſſiſſe, aliiſque præterea Chirurgis, *Morandus* aſſerit: & quidem citra Agaricum bis ſeſe, aliumque haud ita pridem Chirurgum, ſolâ compreſſione arterioſi ſanguinis impetum repreſſiſſe; Agarici tamen vires vel ideò præſtantiores eſſe, quòd compreſſione utcumque laxiore, Gangrænæ propterea metum nunquam faciente, curam ſuam perficiat.

§. X. Plures ergo claros in arte Viros imitati, curam ſpurii noſtri Aneuryſmatis Agarici applicatione, & compreſſione, tentavimus. Egregius chirurgiæ Doctor, curiſque tum graviſſimis, tum feliciſſimis in *Auſtriâ* nobilis, Dominus *Ritter*, cum aliis claris urbis chirurgis, ſuâ præſentiâ, conſilioque, aſſiſtebat Noſocomii Chirurgo *Leber*, qui opera-

tionem in ſe ſuſceperat. Inciſo cum Integumentis tumore, extravaſatus humor ferè omnis ſponte excidit. Arteriæ vulnus, laxato inſtrumento tornatili, apparuit in eâdem, ante ejuſdem diviſionem, obtinere: ut profectò hîc caſus ille haberi triſtiſſimus potuiſſet, in quo, poſt conſuetam intercipiendi methodum, gangræna ſubſequeretur. Porrò fuit & Arteriæ, & Aponeuroſeos muſculi bicipitis brachii, tanta cohæſio, atque coalitus, ut corpus ferè unicum eſſet; ſolâ capſulâ, vaſa hîc involvente, intermediâ; at complanatâ eâdem, & cum ſubjecto vaſe, impoſitâque Aponeuroſi, unitâ: ita quidem, ut nullo intermedio cruore, vulnus unum idemque videretur eſſe, quod penetraret utrumque; utque laxatâ tornatili machinâ, per unicum duntaxat foramen ſanguis videretur ſcaturire. Hinc, cum Aponeuroſeos perſciſſio dolorem creet, & ſuppuratione nimiâ deſtrui poſſit; cumque ii, quibus ſolâ compreſſione externâ Aneuryſma curatur, cum mutuâ vaſis, aponeuroſeoſque concretione, brachii motum expeditè abſolvant; Aponeuroſin conſervavimus, & communi vulneri pulverem Agarici inſperſimus, Fungi ejuſdem lamellas, contu-

sione validâ complanatas, desuper posuimus; eo quidem ordine, ut prima minor, altera major, tertia iterum hâc major esset, sicque ad talem altitudinem ultima lamina emineret, ut idoneâ ligaturâ brachio circumductâ, totus firmaretur adparatus. Ipsum verò brachium universum, ut tunc, ita toto curæ tempore, vino aquâ misto fovebatur. Machina tornatilis post operationem relaxata, curam egregiam esse monstravit. Emulsio paregorica pluribus deinceps diebus data, & jus carnis dilutum cum pane, unicum medicamentum & nutrimentum fuit.

Tribus elapsis ab operatione diebus, incipiens vulneris ob junios calores fœtor deligationem suasit. Apparatu quamvis prudenter ablato, cecidere nihilominus omnes Agarici lamellæ, ut nudus vulneris fundus conspiceretur. Sanguinis porrò nihil prodiit. Ergo instrumentum tornatile suspensâ manu laxantes, dein plus, tandem integrè, ne guttam quidem unicam transsudantem deprehendere potuimus. Gaudebamus sanè; cum eo alioqui animo essemus, ut, operatione irritâ visâ, Aponeurosin ab Arteria solveremus, fungumque, ac totum adparatum, nudæ adponeremus ar-

teriæ. Quia verò res pro votis ſucceſſerat, aponeuroſin integram reliquimus. Cur ſub ipsâ primâ operatione eam non læſeramus, rationem ante dedimus. Confirmabatur ea noſtra intentio obſervatione *Fouberti*, qui eorum in cadaveribus, quorum aneuryſma brachii ſola externa compreſſio quondam curaverat, quoſque alii jam morbi ſuſtulerant, Aponeuroſin cum arteriâ coalitam invenerat. Igitur pulverem Fungi de integro inſperſimus, novas lamellas impoſuimus, & deligationem, ut antea, perfecimus. Spatio 14. dierum tota peracta cura fuit, ut modò deeſſet Epidermis, quæ quoque intra octiduum integra comparuit. Sæpiùs hanc fœminam poſtea vidimus, eamque nullum in movendo brachio incommodum ab adhæſione Aponeuroſeos pati deprehendimus.

§. XI. Altera, de quâ dixeram, mulier vetula, ſpurium habuit, licet verum referre videretur, aneuryſma; rationem mox exponam. Huic tumor longè minor, ſed tremulus motus longè major, eique, qui locum diutiùs digito explorabat, perquam ingratus. Non video qui in externis Aneuryſmatibus hujus tremoris meminerint Autores. *Pa-*

*raus* ſuſurrum, ſonitumve, non tremorem obſervavit. Tremor tamen iſte, quo blandiore digito tangebatur, eo diſtinctior; quo duriore, eo confuſior; ſi fortiſſimè, nullus adparebat. Cum igitur intra 14. dies tumor vix augeretur, ſimplici tantùm externâ ligaturâ hoc Aneuryſma curare anniſi ſumus, ſubere oblongo, eoque fornicato, ad tumentem arteriam adplicito, ac probâ firmat ligaturâ. Quod ubi cum tantillo tumoris decremento ſpatio binorum menſium proſequeremur, tremor ſenſim ceſſavit, & corpus durum, ferè rotundum, extrorsùm convexum, immobile, tegere videbatur arteriam in loco vulneris: unde nullam habens moleſtiam fœmina, motu debito brachium exercebat.

§. XII. Cur verò ſpurium hoc Aneuryſma vocem? Quæ origo rotundi hujus, atque immobilis, ſupra vulnus, corporis? Undenam tremulus ille motus?

Ad primum reſponſio facilis; ad alterum & tertium vix certi quidquam habeo: ut tamen veroſimile quid proferam, licebit priùs ex laudatâ *Fouberti* Diſſertatione nonnulla proferre.

Dividit vir expertus ſpurium Aneuryſma in *primitivum*, & *conſecutivum*.

Primitivum vocat id, in quo actutum ad pertusam arteriam tumor comparet, totum ferme brachium brevi occupans, citumque propterea, ne Gangræna & mors accedant, auxilium poscens. Consecutivum autem illud, in quo quidem nullus à principio tumor, præ validâ compressione, quâ Chirurgus, mox ab infortunatâ sanguinis missione, locum firmaverit; deinde verò tumor pedetentim observatur, dum ægro, Chirurgoque, maturiùs ovantibus, compressio solvitur, abjiciturque, ac consueti motus brachio exercentur. Quo demum fit ut Aneurysma hoc spurium referat verum. Quo autem modo id fiat, en quî explicet.

Primâ compressione, ut dictum, factâ, jam & cutis, & adeps, & aponeurosis, & capsula vasa includens nervosque, & arteria ipsa, Cicatricem communem formant; arteriæ tamen vulnus, cæteris tardiùs coalescens, rotundam aperturam servat, in quâ hæret trumbus sanguinis. Trumbus ille perfectè coalescit in unum cum arteriâ solidum, si adparatus sufficiente temporis spatio adplicatus servetur; sin minùs, trumbus expellitur, sequitur tunc sanguis sensim tumefaciens accretas super-

positasque partes. Sanguis porrò ille partes hasce elevans, & in determinato quodam ambitu solvens, parvum ac circumscriptum refert tumorem. Eo rerum statu tum pulsus, tum reprimendus digito tumor, verum Aneurysma, sive Arteriam minimè perforatam, mentiuntur. Pulsus porrò ille manifestus hîc percipitur, quia sanguis ex arteriâ per hoc foramen in formatum hoc cavum impellitur; tumorem autem digitus reprimit, quòd fluidus medio in tumore cruor per arteriæ foramen repellatur. Censet autem author hanc suam Theoriam anatome confirmari. Nactus enim occasiones aptas, invenit in illis quidem, qui sine perfectione integumentorum merâ ambiente compressione, ab aneurysmate ejusmodi curati fuissent, dum aliis post modum morbis periissent, arteriam, capsulam, & aponeurosin, unâ eâdemque cicatrice coaluisse: in Operationibus verò suis, quas sæpius compressione externâ haud sufficiente instituere debuerat, Sacculum detexisse se ait, pro diuturnitate mali nunc majorem, nunc minorem; qui exteriùs formabatur inferiore aponeuroseos facie, intus verò variis compacti sanguinis lamellis, eo compactioribus, quo exterioribus, qui-

que demum fluidum gerebat in medio ſanguinem.

§. XIII. His ex *Fouberto* præmiſſis ad tria data Problemata me converto. Ad I. dico, quandoquidem ex relatis tum noſtræ mulieris, tum ex pluribus apud hunc authorem hiſtoriis, arteriam totam pertuſam fuiſſe conſtet; & definitio ſpurii aneuryſmatis id ſupponat; videor meritò id noſtrum ſpurium vocaſſe, quantumvis veri naturam æmularetur. Confirmant id etiam alia *Fouberti* obſervata, quæ in eorum cadaveribus, qui olim ab aneuryſmate perperam vero dicto curati, aliis deinde morbis occubuerant, demonſtrarunt ſtigma, ſive cicatricem in Arteriæ pariete interno.

II^da. Quæſtio erat, quænam rotundi, atque immobilis, noſtrâ in fœminâ tumoris origo fuerit? Videtur *Foubertus* jam explicaſſe, ut reſponſum hîc repetere ſit ſupervacaneum. An verò ex hujus authoris theoriâ, anatome confirmatâ, reſponſio quoque haberetur, ad ſingulare illud phænomenon, quod clariſſimi viri, *Hamberger*, & *Trew*, ſuis in caſibus obſervatum notarunt, deſcripſerunt, ſed non explicuerunt? Prior in *Comm. Litt.* ann. 1732. ſic ſcribit: „ Apparuit (in operatione) tunc globus

» ex carne membranoſus, ſuperficiei
» inæqualis, arteriæ adhærens, diame-
» tri duorum digitorum. Hunc explora-
» turus, digitis parum compreſſi, ex
» ægroto quærens num dolorem perci-
» peret? Quod cum negaret, fortiùs
» preſſi, & ſic non ſolùm ab arteriâ
» ſucceſſivè receſſit, ſed & in tribus
» locis ruptus, ſanguinem coagulatum
» dimiſit.« Poſterior verò ſic: »Poſt hæc,
» inquit, magis magiſque totam cavi-
» tatem à grumis, digitorum ope, pur-
» gabat operator, ac denique quem-
» dam (tumorem) paulò firmiùs ad lo-
» cum arteriæ adhærentem, & aliter
» conformatum protrahebat, illi,
» quem Domini *Jenenſes* in caſu ſupe-
» riùs expoſito offenderunt, valde ſimi-
» lem, articulum digiti magnitudine
» æquantem, ſanguine congrumato
» pallidiorem, & quaſi membranoſum,
» inferiùs præterea ſulco, arteriæ trun-
» co procul dubio reſpondente, mani-
» feſtè excavatum.

Igiturne in noſtrâ fœminâ, & in *Fou-berti* ægris, & in caſibus clariſſimorum *Hambergeri* & *Trew*, hoc modo quo dixi, natum id corpuſculum? An, quòd cum eodem nato nonnulli penitus curentur, alii curati ad tempus habiti, ta-

men posthac, tumente brachio, incisione indigeant; an, inquam, id ideò fiat, quod in illis ita corpus hoc cum Arteriâ coagmentatum est, ut vis pellentis per foramen Arteriæ sanguinis nequeat illud ullibi, toto in ambitu solvere; in his verò illud alicubi solvit, ita ut per rimas has toto brachio longè latèque diffundatur? Videretur certè ex omnibus his observatis quid simile concludi oportere.

Ad III. problema, quod tremoris rationem poscebat, responsio difficilis mihi videtur. Expositum mox corpus, immediatè, firmissimè, & calli veluti ope cum arteriæ corpore coadunatum, utique motu arteriæ in Diastole ac Systole afficitur, sed cum obsequiosum præ duritie non sit, fortassis ideò tantummodò tremit, non autem manifestè expanditur contrahiturque: Jamque novus sanguis assiduò ex arteriâ in hoc cavum impulsus, & à tremente hoc operculo repulsus, videtur quoque hinc tremorem augere. Binæ enim causæ continuò agitant hoc corpus superpositum, quod suâ duritie non nisi leviſſimè reagere, agique possit.

# CAPUT III.

## DE TYMPANITIDE ET HYDROPE CYSTICO VARIA.

§. I. *Examen Tympanitidis.* §. II. *Historia Hydropis Cystici sive saccati numerosis cadaverum sectionibus suffulta, cum explicatione* τῶν Εμμοτῶν Hippocratis. §. III. *Examen Doctrinæ* secundi Tomi Acad. Chir. Paris. *circa amplam ventris dilatationem saccique in hâc specie Hydropis: eâque occasione cunctis emolumentis & nocumentis hinc Methodi à Parisiensibus propositæ, illinc Paracentéseos, discussis; HÆC demum ILLI, quibusdam exceptis casibus, præferenda fortè videtur. Simul eorum sententia de extirpando Ovario examinatur.* §. IV. *Quæstiones Pathologicæ circa Hydropis originem & naturam.*

§. I. PECULIARI capite de *Tympanitide* egi *P. 2. Rat. Med.* Impræsentiarum nonnulla addere juvat, quæ ibidem dicta confirment; huncque morbum, qui debitæ cognitionis defectu frequenter adesse dicitur, dum minimè adest, ab omnibus aliis ritè distinguant.

Puer necdum ſextum ætatis annum integrè explens, debilis, incedere necdum valens, à matre mihi ſiſtitur. Narrat illa quo momento quondam huic ſuo infanti mammam præberet, ſe ex nuncio improviſo nec opinatæ Mariti mortis vehementer fuiſſe perterritam; obſervaſſeque paulò poſt flaveſcentem infantem, ac poſtliminio indies macriorem reddi: ventrem ipſi quoque intumuiſſe, idque eâ lege, ut nunc plus, nunc minùs tumeret, nunquam verò integrè detumeſceret; jam verò à 30. diebus immanem excreviſſe in molem, cum rarâ durâque alvo; ita ut quintus denuò dies, ex quo eam non exoneraſſet, laberetur. Examinavimus tunc puerum. Facie exceptâ macerrimus, ventrem adeò tumentem gerebat, ut ſuperius vix ſpatium pro Thorace relinqueret, inferius verò ſuper femora propenderet. Haud æquabiliter tamen extendebatur, utpote eminentiis pluribus, iiſdemque globoſis & oblongis, inæqualis: parte nimirum dextrâ eâque ſuperiore eminentior, inde depreſſior, in medio denuò elatus; mox inde iterum planior, in ſiniſtrâ verò regione tum mediâ, tum infimâ, vehementer extuberans. Percuſſus nihil undulationis,

ſed

ſed obſcurum tympani ſonum, unde totus morbus nomen habet, referebat.

Quàm veriſſimè igitur *Boerhaave* poſt veteres docuerat Inſt. Med. §. 817. ex Ictero Tympanitidem facilè naſci! Bile intra ſanguinem refusâ, Inteſtinis deeſt neceſſarius, quo & agant & exonerent ſe, ſtimulus. Ergo expanduntur; & perſeverante, aut continuò repetente eâdem expanſione, fibræ eorum demum ferè paralyticæ fiunt, nec niſi duplicatâ vi reſpirationis, aut validiorum purgantium ſtimulo, commoventur ad evacuationem. Evacuata autem hæc Inteſtina vix concidunt, quum vi contractili amiſsâ, mox aëre extendantur, fæcibus dein tempore accumulatis, immaniùs turgeant, atque ita, ad exonerandum ſeſe, vi indigeant validiore quàm antea. Cum paralyſeos hujus origo annoſior eſſet, triſtem prognoſin dabat morbus. Cura tamen tentanda erat, eaque primùm evacuando pallians, deinde roborando curans. Sed ſerò venimus. Eodem die fatis ceſſit.

Inciſo abdomine, tumoris cauſam videbamus nec aëri deberi, nec aquæ, verùm unicè expanſis Inteſtinis craſſis, & quemadmodum figura externa deſignaverat, hinc plus, illinc minùs, di-

latatis & impletis. Aëris porrò immensa copia, multumque durarum fæcum, eadem explebant. Hocque jam tempore & multa, & profundè tincta, Bilis in vesiculâ felleâ aderat, ut stimulare intestina potuisset; sed dudum nata & inveterata paralysis, suborto atque agente posthac stimulo, emendari nequivit.

Externa igitur, inæqualis ea, & tortuosa ventris facies, sedem Tympanias ostenderat in Intestinis esse; sed non in quibusnam propriè esset? Hîc Anatome crassa Intestina, aliis in cadaveribus cum crassis & tenuia ostendit nobis inflata. Quin & præternaturalis crassorum decursus, & flexura, omnem genuinæ Morbi sedis determinationem à priore, ut ajunt, negabat. Quippe in cadavere vidimus saccum cæci vix pollices duos capientem, suo cum appendiculo, non sede consuetâ, sed alienâ, versùs medium abdomen, locari. Colon inde assurgens, mox ampliſſimum, ad Lienem vergebat, indeque retrò, versùs umbilicum reflexum, & hinc iterum viam ad sinistrum Ileum petens, denuò obliquè dextrorsum amplitudine stupendâ assurgens, tandem facci ingentis, potiùs quàm intestini formâ, ad anum descendebat.

Si jam vetabamur ab externâ ventris formâ locum propriè affectum, vivente ægro, determinare; nonne eamdem ob causam idem in aliis abdominis morbis, ut puta in colicâ dictâ, vetamur? Etenim pluribus in cadaveribus coli figuram minimè naturalem deteximus: ita quidem ut in nonnullis ad Hepar affixum, mox vel ad umbilicum, vel ad imam pelvim descendat, indeque assurgens Lienem petat, postea autem cursum consuetum absolvat. In aliis iterum alio atque alio invenitur hæc forma tortuosa modo. Ita ut dolor versùs umbilicum tenuibus inesse creditus, haud rarò ipsum colon occupet. Et experimentum capientes, inflando fortiter intestinum animalis, evidenter cernebamus illud & amplitudine & longitudine augeri, si determinato in spatio coarctabatur; nova in omnem modum, omnem in formam, volumina tunc producens. Quâ etiam de causâ toties in iis, qui calculo vesicæ perierant, & longissimos, & ampliſſimos, & maximè tortuosos ureteres invenimus, & jam in prioribus descripsimus; eo quòd urina, secreta renibus, intrare vesicam prohibeatur. Elongat quippe illa, ampliatque ureteres; & cum hi elongati nequeant am-

pliùs in longitudinem porrigi, coguntur hinc inde in latus ſecedere, formare volvulos elongantes vel lacerantes, quæ ipſos involverat, celluloſitatem. Itaque protruſo cum Peritonæo deinceps, in remotiore longè plagâ, novâ productione cellulosâ vicinis affigunt ſe, ac ſi perpetuò ibidem hæſiſſent : quemadmodum plura nobis exhibuere cadavera.

Sed ut ad rem; Proſpectus anatomicus hujus tympanitici confirmat eam, quam *Part.* 2. *Cap.* 5. ideam ejus dedi. Sedes mali eſt in ipſo inteſtinorum cavo; materies, cum copioſis excrementis, Aër eſt. Si in cavo abdomine aqua ineſt, ea à cacochymiâ corporis universâ producitur; ſi aër, ab eroſo inteſtino. Cauſam remotam in hoc ægro, Bilis defectum cum *Boerhaavio* agnovimus, in aliis, iteratas Colicas Ileumque deteximus. Quippe in Colicâ clausâ dictâ & Ileo, inteſtina materie chylosâ ac ſtercoreâ, tum & aëre copioſo amplificantur & elongantur, ita ut figurâ decurſuque mutentur. Repetitis his morbis tandem fit, ut licet homines poſthac ab iiſdem curentur, inteſtina tamen priſtinam figuram nondum recuperent, atque ita cauſa prædiſponens ad Tym-

paniam maneat. Si Inteſtinorum Nervis ſuperſit nonnulla adhuc contractilitas; ſi etiam diæta talis ſit, ut non ingerantur alimenta, quæ multum aëris factitii, aut *Gas Helmontii*, in ventre generent; ſi nec duri cibi aſſumantur, nec ſegnis ſit alvus; Tympania non formabitur: ſin verò ita perierit vis inteſtinorum contractilis, ut planè ſit iners; ſi continuò à pravâ diætâ inteſtina diſtendantur, diſtentaque maneant; erit demum, ex proegumenâ & procatarcticâ causâ combinatâ, cauſa proxima nata, nempe ipſa Tympanitis. Ex iiſdem ſimul intelligitur, quòd ſi omnis aër ac fæculenta materies expulſa fuerit, Curatio tamen mali impoſſibilis ſit, ſi Nervorum Meſentericorum ac Meſocolicorum paralyſis fit irreparabilis. Cauſa enim procatarctica aſſiduò renaſcens, dat, cum hâc perſeverante proegumenâ, ſemper novam cauſam proximam.

§. II. Atque hæc dixiſſe de Tympanitide ſufficiat. Sequitur nunc conſideratio morbi, qui multa ſæpè habeat cum illâ communia; Hydropis ſcilicet abdominis, ejuſque potiſſimùm, quem *Cyſticum* ſive *Saccatum* adpellare ſolemus. Hic ſanè, inæqualitate notabili & mirandâ ventris, ferè tympaniam æmula-

tur; caretque ille fluctuatione aquarum in multis, ut hinc eo sit tympaniæ similior. Attamen resonantia non adest: unde hinc hic ab illâ internosci potest. Sed si collectores casuum consulamus, dantur casus rariores, ubi Tympanitidem Hydrops dicitur comitatus esse, aut ei saltem superveniisse: si id verum, & multis in cystis ille Hydrops colligitur, poterit resonantia aëris suffocari ab aquâ utriculis contentâ, atque ita tota morbi alioqui clara idea, penitùs confundi. Anamnesis bona & exacta utriusqae morbi cognitio, poterit hanc confusionem utcumque emendare. Ut utriusque morbi diagnosis illustretur, juvat casus plures miserandos Hydropis recensere, & practicè de eo disserere.

Fœmina 30. annorum quartum infantem 21. Nov. 1758. feliciter enixa erat, sed tertio à partu die lecto imprudenter surgens, frigus suscepit: horrore inde atque ardore correpta, mox suppressa sibi lochia percepit, ventrisque deinceps tumorem atque dolorem. Dolor quidem post aliquot dies remisit multùm, tumor verò magnâ cum ventris gravitate perseveravit. Accessit me mense Aprili 1759. Quo quidem tempore cujuspiam liquidi fluctuationem,

tum ipsa corpus sinistrorsum vertens percipiebat, tum nos percutiente ventrem manu evidenter deprehendebamus. Sed, ut decursus morbi docebit, omnis posthac fluctuatio cessavit. Conquerebatur autem dum me primùm accederet, molestissimam sibi mansisse dextro in inguine duritiem, quam pugno magnitudine parem deprehendere potui.

Diagnosis ergo evidenter docuit uterum à suppressis lochiis inflammatum suppuratumque fuisse; ac fortè ipsum, vel tubam *Fallopii*, vel ovarium, pure tumidum, inguini accubuisse, accreviſse. Quam sententiam immobilitas tumoris, quodcumque in latus se fœmina verteret, confirmabat. Prognosis tum ex hâc ipsâ fœminâ, tum ex multis aliis, quas habueramus mulieribus, multiplex erat: vel puris intra sanguinem timenda resorptio, quo demum sanguis totus corrumpatur, ac seriùs ocyùs fœmina pereat; vel absorpti puris per alia viscera speranda excretio; unde perfectam consequi sanitatem notabilibus viderem exemplis: vel etiam exitus puris in ipso accretionis loco per inguen prævidendus, cujus quoque exemplum habueram: vel denique, ut pus introrsum erumpens, in cavum ventrem ef-

funderetur, omniaque ibidem viscera corrumperet.

Hunc ultimnm eventum, quòd frequens sit, quòdque eum tam graphicè *Hippocrates* descripserit, paulò attentiùs hîc contemplemur. Ulcera demum hæc sunt quæ Ἔμμοτα *Hipp.* adpellavit. ita ut talia interna ulcera intelligenda sint, de quibus agit in *Aphor.* 47. sect. 5. Ἢν ὑστέρη ἐν τῷ ἰσχίῳ ἐγκειμένη διαπυήσῃ, ἀνάγκη ἔμμοτον γένεσθαι. Quod *Almeloveen*, post plerosque interpretes sic reddidit » si uterus coxæ incumbens suppu- » ratus fuerit, necesse est medicamen- » tum in linteo carpto adplicari. Hoc sensu *Œdipo* opus est, qui explicet. Nemo ex omnibus Interpretibus rectiùs *Prospero Martiano* verum sensum *Hippocratis* reddidit. Videatur is comm. p. 460. Ita ut vera Aphorismi interpretatio hæc sit :» Si uterus suppuratus ad » coxam, vel inguen accubuerit, ne- » cesse est cava ulcera interna fieri «.

Ac primò quidem ipse uterus brevi à partu sanguine turgens, magnæ adhuc existens molis, si inflammatur ac suppuratur, mole adhuc crescit, firque gravis, ac facilè alterutrum in latus cadit, & inguini, ac versùs coxam accumbit accrescitque. Tuba *Fallopiana*, ipsumve

ovarium, eâdem de causâ pure tumens facilè cum inguine, ac margine toto musculi obliqui externi concrescit. Rebus sic se habentibus, periculum est, secundùm & *Hippocratis* & omnium observata ne hîc fiant Ἔμμοτα, ulcera cava interna. Hinc *Hipp.* Libr. de Nat. mul. cap. 6. 684. apud *Chart.* Ἢν αἱ μῆτραι ἅψωνται, πρόσκεινται· καὶ ἢν ἅψῃ, ὀψει σκληρὸν ὑπὸ τὸν κενεῶνα· καὶ ὀδύνη λαμβάνει τὴν νείαιραν γαστέρα, καὶ τὸς κενεῶνας, καὶ τὰς ἰσχύας· καὶ ἐς τὸ σκέλος ὀδύνη ἐπίπτει, καὶ ἐκτείνειν ὃ δύνανται, πολλάκις δὲ καὶ ἐκπυίσκονται ἔμμοτοι γενόμεναι, καὶ ῥεόμεναι ἀποθνήσκουσιν, ἢν μὴ καύσῃς, ἢ τάμῃς.» Si adhæserint uteri, incumbunt. » Et si attigeris, durum quid sub ili- » bus (sub laterum mollitudine, sub » vacuitatibus abdominis) deprehen- » des; dolor imum ventrem prehendit, » & ilia & lumbos; & dolor in crus » incidit, ut illud extendere nequeat. » Sæpiùs verò uteri suppurantur, in » ulcera cava interna mutati, & fluen- » tes moriuntur, nisi locum vel ussseris, » vel secueris"; ut nimirum pus ad exteriora alliciatur. Videre hæc omnia confirmata notabili historiâ *Malienfis* Epid. 5. pag. 1149. Libr. *de Artic.* pag.

817. & 822. Edit. *Foës.* Deinde etiam Tom. VII. *Chart. Hipp.* pag. 684..690. 740. 767. 813. *Sed legendus ubique græcus modò textus ; nam versiones hîc loci nihil valent.* Vidi in cadavere puellæ, quæ clam pepererat, neglectaque fuerat, suppuratum uterum cum omento primo coaluisse in dextro latere, omentum hoc mirè degenerans & incrassatum coivisse cum ligamento rotundo uteri, cum vasis nervisque cruralibus ; ut longâ patientiâ opus esset, antequam partes concretæ probè distinguerentur : fistulis & ulceribus massa tota penetrabatur.

Hisce ita consideratis, casum nostræ mulieris incipimus intelligere. ἔμμοτα quippe, ulcera cava, fistulosa, interna, ipsi aderant, unde pus cavum ventrem occupabat ; cujus fortè tantillum, à vasis bibulis resorptum, quotidie in urinâ adparebat. Attamen solum pus non adesse, sed etiam magnam aquæ copiam, fluctuatio docebat ; id quod inde natum facilè intelligitur, quòd vasis lymphaticis & uterus & tubæ & ovaria undique scateant ; quæ vicino pure erosa ventrem facilè colluvie aquarum inundant. Suppurato utero plus simplici vice aquam cum pure in abdomine effusam vidi.

Vires ergo optimè cum adeſſent, Paracenteſin 24. Aprilis inſtituimus, eduximuſque liquidi ſubvirideſcentis, turbidi, inodori, Libr. 27. Venter videbatur jam integrè evacuatus. Conſtringens ventrem machina poſt meridiem paululùm laxanda fuit, cum reſpiratio, mox ab operatione liberior, nunc impeditior fieret. Bene ſe poſtmodum per omnia habuit; ſomno, viribus, adpetitu. Eductus porrò liquor, in 14. magnis vitris collectus, intra 8. horas cœpit floccos oblongos albosque, à ſuperficie deorsùm versùs formare, & ſeq. die pus in fundo exhibere. Liquor tenuior ad ignem coagulabatur. Servavi hanc ſuis in vaſis materiem à 24. April. ad 5. Maii, & publico examini denuò ſubjeci. Nullus aderat fœtor; viridis, craſſa, flocculenta eſſe perſeverabat, ponens in fundo gelatinam ſpiſſam, nonnullis in vitris ſanguine, pure in aliis, miſtam. 9. Maii, 15. proinde die à paracenteſi, phænomena omnia eadem manebant. Tenuior effuſa pars colorem ſyrupi violarum minimè mutavit, iterato licet ſæpiùs experimento. Cum aceto non efferbuit. Spiritus nitri affuſus nullam efferveſcentiam, ſed inſulam coagulatam, ad quamlibet portionem affu-

ſam producebat. Portio verò alia in cochleari igni impoſita, mox abivit in coagulum. Serum ergo, ſeu lympha coagulabilis, eroſis vaſis lymphaticis, maximam partem abdominis explevit, pus reliqnam.

Ablatis tandem quæ abdomen per aliquot dies conſtrixerant faſciis, tumor in inguine dextro apparuit, & 13. Maii jam percipiebatur ab inguine ſursùm creſcere, & versùs medium abdomen pergere, tactu durus, & planè immobilis. Simulque adeò tumidus venter, quàm ante Paracenteſin adparuiſſet. Auguſti autem 10. durities toto ferè abdomine, exceptâ regione iliacâ ſiniſtrâ, percepta eſt, ſupra umbilicum jam eminens, immobilis, inæqualis; ſed nec fluctuans, nec reſonans. Diuretica & purgantia menſibus Junio, Julio, Auguſto, data, eo uſque profuere, ut res domeſticas ſuas, multorum liberorum mater, ſufficienter peragere poſſet. Septembri verò menſe tumor totum ventrem medium, ad cordis ſcrobem uſque implet, ibidem capite adulti hominis major, & in latere ſiniſtro ad inguen uſque porrectus; durus ubique, decem fortè in locis globoſior & depreſſior: nec fluctuans, nec reſonans.

Interim obſervamus, quod in primo Hydrope non fuit, muſculos abdominales adeò molles ac flaccidos, ut ſupra enormes hos tumores prehendi plicarique poſſint. An igitur, à primâ ventris extenſione, muſculi hi, totumque peritonæum, vim contractilem irreparabiliter amiſerint, & in perfectam paralyſin denegarint? Plauſibile hoc argumentum deſtruit ſequens obſervatio. Tumores cyſticos fœmina quæpiam habere à quinque menſibus cœpit, primâ vice vitæ ſuæ, ante id tempus perfectè ſana; quæ tamen tumidiſſimo cum ventre, flaccidiſſimos habeat abdominis muſculos. An ergo nervi dorſales & lumbares ab internis tumoribus ita comprimerentur, ut muſculi abdominales hinc paralytici redderentur? Sed paralyſis ejuſmodi adeſſe nequit, niſi ſimul & alias partes afficiat, quæ hîc non afficiuntur. Ad nodum hunc ſolvendum plures primò caſus obſervandi erunt, pluresque cadaverum ſectiones faciendæ; unde eum nunc in medio relinquam. Id modò addendum habeo, quòd in utrâque hâc fœminâ umbilici regio arctè videatur cum cyſtico tumore connexa.

Gravem nunc ordimur quæſtionem,

quâ petitur 1°. an noſtra mulier novam ſubire paracenteſin debeat? 2°. An dictis cum remediis ſibi ſit linquenda? 3°. An verò methodum minuùs palliantem, tutiùs curantem, quâ illi ſuccurri poſſit, poſſideamus?

Intricata quæſtio reſponſum ſuſpendit, quum illud totam, quâ latè patet, quæſtionem, coram cernere debeat, cum omni eâ varietate, quam varii caſus ejuſdemmet morbi exhibent. Igitur plures primò recenſebo, ut reſponſio ad omnes adæquatè adornetur.

Fœmina 50. ann. ritè perpetuò, dolorem ad inſtantia catamenia ſi exceperis, valens, anno 1758. finiente Septembri, cecidit ab altitudine 12. pedum; ita quidem ut toto ſiniſtro ventris latere impingeret in ligneum ſepimen horti, deinde, gravitante corporis trunco, hinc in terram inſiliret. Doluit inde venter, & dolore mitigato, duri quidquam habuit, ſenſim creſcens, immobile, explens demum præcipuam ventris partem, doloremque medio in epigaſtrio creans. Altero menſe poſt caſum circiter elapſo, terrore valido, ac mœrore de incarcerato marito afficiebatur, ex eoque tempore ventrem univerſum tumere ſibi percepit, durum, quod an-

tea, corpus ultra non animadvertens. Toto Aprili 1759. vix horæ ſpatio ſomnum oculis videns, nihil appetens, & ſi fortè quid appeteret, illud compreſſo ventriculo non admittens, ægerrimè reſpirans, ad noſtrum Noſocomium ducta eſt, in eoque ſuſcepta. Examine inſtituto, nullum deprehendimus durum in abdomine corpus, ſed æquabilem diſtenſionem, & manifeſtam aquæ fluctuationem. Parvus ipſi, & celer, & inæqualis pulſus.

Quærebatur num præſenti in periculo verſanti mulieri inſtituenda Paracenteſis foret? Remedia diuterica mox ipſi exhibens, inutilia prorsùm vidi, & è contrario vires in dies minui, omnemque ferè reſpirationem ſupprimi. An ergo certo interitui relinquenda? Paracenteſis hîc damnari ſolet, meritòque condemnabatur olim, quando Ars in debitam abdominis compreſſionem nondum ſatis intenta, reſpirationem, effluentibus aquis, ſupreſſam cerneret, vitamque abeuntem in auras. Jam verò ars pro ratione effluentis Lymphæ arctans abdomen, ac vaſa non ſuſtentata fulciens comprimenſque, ſupplet functioni muſculorum abdominalium, qui jam otiantur; impeditque ne humores

per vasa olim compressa ægerrimè, jam aquis prementibus libera, impetuosè ruentes, haud sufficienter ferantur ad Encephalum. Quo igitur modo jam instituitur Paracentesis, licet parum nonnunquam juvans, tamen vix unquam funesta, & sæpè vitam reddens ad tempus tolerabilem, præferenda certæ perniciei videbatur : maximè eâ si fieret cautione, ut aquæ haud plus unâ vice demeretur, quam viderentur vires commodè ferre.

Itaque octiduo integro bene apud nos enutrita, ac viribus aucta, operationem subiit 9. Maji, & ingenti suo commodo 35. aquæ Libras amisit ; ventre ita detumescente, ut nihil Lymphæ supereſſe videretur ; quantum nempe fasciato uentre deprehendi potuerat. Aqua Limpida sed flava erat, ad ignem coagulata, syrupum Violarum planè viridem reddens, cum aceto mista minimè effervescens, cum spiritu salis albescens, & in coagulum abeuns. Effectus habuit operatio omnes, quas à palliante curâ expectare potueramus ; respirationem sensim expeditiorem, appetitum redivivum, prudentis alimentorum ingestionis tolerantiam, doloris absentiam, copiosiorem urinam, naturalem, liquidiorem tamen, alvum, placidos resi-

cienteſque ſomnos, demum auctas in dies vires. Flatus modò moleſtos, ut prior illa, ut omnes quibus unquam Paracenteſin inſtitueramus, etiam & hæcce eſt conqueſta, idque jam mox ab operatione inſtitutâ. Opium hos flatus multùm moderabatur. Quippe inteſtina olim ab accumbente aquâ vehementer compreſſa, jam eâdem eductâ longè minùs à conſtringente ventrem machinâ comprimuntur; adeòque ab alimentis, & ab aëre potiſſimum, extenduntur; debilitata vix renituntur. Sanguis autem ſpirituſque in vaſa nervoſque commodiùs influunt. Cum tamen Inteſtina aërem & alimenta, præ debilitate ſufficienter propellere nequeant, variis in plagis neceſſariò extendantur, & in locis, ubi illa extenſio non adeſt, ſpaſmodicè contrahantur, neceſſe eſt. Opium datum ſpaſmos ſolvit, efficitque ut contenta hæc per univerſum inteſtinorum tractum æquabiliùs diſtribuantur.

Attamen debuit ligatura, ſenſim jam laxata, 18. Maji auferri, cum recreſcentes aquæ reſpirationem ferè ſuffocarent. 21. Maji dimidiam partem antiquæ molis venter jam erat adeptus. Et ipſe tumor, quem illa ante hydropem perceperat; quemque, Hydrope forma-

to, nec ipſa, nec nos, ullo modo deprehendere potueramus; laxatâ priùs ligaturâ, utcumque, ablatâ eâdem manifeſtus adparuit, ſuperiora medii abdominis, dextrumque ejus latus occupans; haud ita tamen deorsùm vergens, ut Uterum, aut Ovarium affectum eſſe ſuſpicareris. Immobilis planè idem, haud tamen peritonæo accretus; aqua ad digiti lati diſtantiam inter hoc & illum manifeſtò ſæpiùſque deprehenſa. Atque ita ſenſim increvit abdomen ad eamdem, ad quam olim, molem, imò eâ majorem; cum jam enſiformis cartilago extrorsùm à tumido corpore incurvaretur. Voluit tamen ad maritum liberoſque redire, atque ibidem me inſcio mortua eſt: ut aperiundi, quod doleo, cadaveris facultatem non habuerim.

Vidua 48. annos nata, plurium infantum mater, abdomine tumere cœpit anno 1757. ſed 25. Dec. ejuſdem anni tota detumuit, enormi Lymphæ copiâ pleno rivo de pudendis proſiliente. Unde Hydrops uteri fuiſſe videtur, qui ſic ſponte curatus. Attamen rursùm tumuit, tantam demum in molem, ut hujus, quem vivimus, anni Majo menſe finiente, diſtantia à ſcrobiculo cordis ad um-

bilicum 4. pedum esset, ab umbilico vero ad pudenda 2. pedum. Umbilicus in genu altitudine inveniebatur. Ut longitudo, ita monstrosa planè ventris amplitudo fuit. Unde nec ipsa movere sese, nec ultra ferè à suo famulitio verti attollique posset. Consilio indicto Medicorum, & ego rogabar. Fluctuationem manifestam immensæ aquarum molis percipiebamus omnes. Quærebatur modò, quâ illam methodo juvaremus. An medicamento evacuante? Sed & moles major erat, quàm ut hinc sufficiens evacuatio speranda foret; & Medici hisce dudum oleum luserant operamque. Quin imò ab aliquot diebus Respiratio suffocationis metum incutiebat, ut celeri auxilio opus esset. Num ergo paracentesis instituenda? certè permittebant eam ætas, viresque; suadebat suffocationis periculum; nec scirrhi fortè præsentis suspicio dehortabatur, cum aquarum evacuationem palliantem, ut ajunt, tantùm intenderemus: eductis nimirum aquis homines suos scirrhos tolerabiliùs gerere, toties experti. Voce unâ ergo Paracentesin, quâ unicè imminens suffocatio averruncaretur, suasimus, laudavimus. Sed

verò in Paracenteſi ligandus venter eſt, & pro ratione effluentis laticis conſtringendus. Qualiſnam machina, loris ac fibulis inſtructa, ad id apta erit? Et ſi apta, nonne flaccido jam tantæ molis ventre, inepta erit, quæ ſufficienter adducatur? Itaque unam communem ejuſmodi machinam primò apponendam eſſe; & monſtroſo corpori aliam etiam monſtroſam machinam, quæ illicò parari poſſet, circumdandam eſſe; eâ quidem inentione, ut ſi flaccido ventre major machina inepta, quæ ſufficienter adduceretur, foret, minor ſuppoſita ventrem conſtringeret. Quòd ſi commodè liberaliorem aquæ eductionem non ferret, parciore deſiſtendum eſſe concluſum fuit.

Igitur in inferiore parte eâque dextrâ ventris, factâ aperturâ, 37. aut 38. Libræ effluxere liquoris non fœtidi, ſed fuſci, turbidi, amurcam planè referentis. Subſtitit tunc fluxus omnis. Percipiebaturque cannula in corpus durum impingere. Penetrandumne per illud eſſet? Negabatur: ignorabamus enim an id non foret quodpiam ſcirrhoſum viſcus, quod pertuſione malignum fieret. quid ſi ſaccus durus, ac ſemiſcirrhoſus ingentem, liquidi ſeu boni, ſeu corrupti,

copiam contineret? Evacuaretur quidem, ſed primùm in abdominis cavum; remotus enim ille à peritonæo erat, cum inter hoc & illum tot Libræ amurcarum jam effluxiſſent. Ponamus ergo ſacco pertuſo liquorem effluere putidum, ichoroſum, ſanioſum, cancroſum: nonne ille, alluens ad inteſtina, cæteraque viſcera abdominis, corrumperet eadem, mortemque, quam procraſtinare animus erat, acceleraret? Sed contra: Inſtrumento triſulco in ſaccum adacto, an cannula non clauderet foramen; ita ut, quemadmodum ex externo abdomine liquor copioſus cannulâ effluxiſſet, ita etiam ex ſacco efflueret? Ita; ſed conſiderabamus, amurcam quæ effluxerat intuiti, improbabile non eſſe, quòd ſpiſſus, ſi quem durum hoc corpus gereret, amurcoſuſque humor foret, per cannulam minimè proſiliturus, &, eâdem ideò extractâ, in cavum ventrem effluxurus. Saltem maturiùs ſuper hoc deliberandum eſſe, & jam corpus refocillandum fore. Levamen ab operatione nullum percepit, niſi 12. poſtea horis; *jam* inquiebat, *me bene habeo*, ſimulque expirabat. Mole cadaver vix imminutum, terribili mephiti totas explevit ædes: ita ut veniam ejus aperiundi $2\frac{1}{2}$,

à morte diebus nacti, re infectâ aufugerimus, ne curioſitatis pœnas, ut olim egregius Anatomicus *Cantſius*, inſontes lueremus.

Homo 49. ann. Hydrope aſcite, ac ſimul anaſarca laborans, in Noſocomio dicto *Becken-hauſel*, menſe Octobri 1758. ab optimo ibidem Phyſico *Storck*, vino ſquillitico curabatur, ut ſuos denuò labores perficere poſſet: ſuperſtite tamen tumore duro, immobili, in Epigaſtrio. Curando illi varia quidem moliebatur Medicus, ſed æger, victûs prolibus quæritandi deſiderio actus, curam ſui neglexit. Unde denuò eumdem in morbum relapſus, idem repetiit Noſocomium. Cum jam incaſſum quævis remedia adhibita eſſent, Paracenteſis inſtituta eſt, & centum aquæ turbidæ ac rubræ libras eduxit.

Evacuato ventre, qui olim in Epigaſtrio perceptus tumor, is jam longè extenſior deprehendebatur. Dabantur ſelecta remedia, ſed incaſſum. Crevit enim ita Hydrops, ut exacto à primâ Paracenteſi menſe, altera inſtitueretur, ne ſuffocaretur, ſimilemque & naturâ & copiâ materiem educeret. Id quod deinceps quovis menſe ſepties repetitum. Poſt ſeptimam Paracenteſin videbatur 14.

diebus bellè ſe habere, poſtquam iterum, immane quantum! intumuerit. Virium projectio, appetitûs proſtratio, febres, ac ſudores, octavam diſſuadebant: ſed veritus homo, ne aut venter ſibi finderetur, aut reſpiratio planè deficeret, octavam voluit ſubire: eductiſque iterum 100. propemodum aquæ Libris, multum levaminis percepiſſe ſibi viſus eſt. Attamen collabaſcentibus pedetentim viribus undecimo ab illinc die periit.

Cadaver exhibuit omentum in pelvim uſque propendens, mutatum in craſſum atque membranaceum Marſupium, anteriore facie peritonæo, poſteriore hinc inde inteſtinis accretum. Nulla in cavo abdomine aqua, in ſacco vero Omenti copioſiſſima, rubraque eadem & fœtida. Ipſe porrò ſaccus ille craſſus ſteatomatoſum tumorem gerebat, maſſæ informis, 33. Libras medicas pondere æquantem. Nonnihil aquæ & Thorax habebat. Similem ferè caſum *Horſtius* habet, Oper. Med. Lib. 2. Tom. 2. obſ. 4.

In eodem Noſocomio fœmina circiter quadragenaria, enorme gerens, mole aquarum, abdomen, atque ob eam ferè ſuffocata, amiſit paracenteſi 60.

circiter Libr. medicas aquæ ſubrubellæ ac glutinoſæ. Sublevabatur inde. Sed quod antea nunquam experta erat, jam in pectoris ſiniſtrum latus, citra intentatas ſuffocationis minas, ultra decumbere non potuit. Signa præſentis fors hydropis pectoris ejus paracenteſin poſtulaſſent, ni & ipſa eamdem formidaſſet, & vires diſſuaſiſſent exiguæ. Porrò à Ventris paracenteſi primis 14. diebus venter haud multum crevit, ſed duros modò in toto Epigaſtrio tumores exhibuit: elapſis verò hiſce diebus tumor ventris univerſi denuò crevit, vireſque ita projectæ ſunt, ut ægra bimeſtri poſthac ſpatio elapſo interiret.

In cadavere plurima aqua explebat abdomen, Hepar omninò ſcirrhoſum, ac ſiniſtro lobo ſuo farciminis inſtar productum, ſplenique accretum. Ovarium dextrum, ut publicâ demonſtratione Auditoribus exhibui, in duo magna eademque rotunda ferè corpora formatum, puriformi materiâ plena. Cavum dextrum Thoracis admodum Hydropicum.

§. III. His variis hiſtoriis relatis ad quæſtionem paulò ante pag. 62. propoſitam; utrùm nempe Paracenteſis noſtrâ in fœminâ ſit repetenda, an verò Ars noſtra

noſtra aliquid poſſideat, quo vel conſtantius ſolamen, vel integram conferat ſanitatem? ad hanc, inquam, quæſtionem reſponſum nunc adornare convenit.

Si *Tomum alterum Acad. Chir. Reg. Par.* conſulamus, viderentur efficaciora iis, quæ nos adhibuimus, auxilia modernis innotuiſſe Chirurgis, ac pulcris confirmata exemplis fuiſſe. Referunt hæc *Acta* VII. hiſtorias Hydropis, ut ajunt, ſaccati, nec non ſcirrhoſi Ovarii. Habetur deinde erudita Epicriſis clari in arte chirurgicâ *Morandi*, quâ impensè laudat chirurgorum conamina, qui Paracenteſi minimè contenti, Abdomen latâ plagâ vulnerarent, ſacciique, tum membranoſi, tum etiam jam ſcirrhoſi facti, in quo incluſum liquidum, integram hoc modo evacuationem, collapſum, conſumtionem, efficere anniſi eſſent; imò qui in poſterum ſcirrhoſum ovarium, quod cyſtici hydropis frequens ſedes, veluti caſtrando eſſent exemturi. Tandemque finiens in hæc verba erumpit. *La Chirurgie moderne eſt capable de grandes entrepriſes; on ne ſauroit lui ouvrir trop de vues pour guerir.*

Sanè ſi omnes ſaccati Hydropes in

ovario essent, iidemque perpetuò latè-que peritonæo accreti; vel si essent inter Peritonæum & musculos abdominales; si præterea ipsi sacci membranosi tantummodò, non verò crassissimi & valde scirrhosi essent; si denique in eodem homine saccus duntaxat unicus, & non, ut sæpe fit, multiplices essent; laudaremus cum *Morando* hæc molimina: sed haud videmur certi semper esse de parte affectâ, de naturâ affectionis, de numero loculorum, qui humores includunt. Si enim propriam meam experientiam mente recogito; si ingentem illam observationum sylvam apud Collectores casuum revolvo; si denique ipsa Academiæ chirurgicæ exempla examino: jure videor dubitare an cura ibidem commendata sæpiùs non frustranea, imò & periculosa foret? Unde juvat accuratè rem totam examinare.

1°. Sacci hi peritonæum inter, musculosque abdominales, reperiuntur. Ita in iisdem Actis casus Chirurgi *le Dran*, n°. 1. ille Domini *Mouton* n°. 3. & Domini *la Chaud* n°. 4. Quod enim ultimus saccum inter Peritonæi duplicaturam formatum dixerit, id, inquit, *Morandus*, ex veterum opinione, postmodum correctâ, proficiscitur; unde

idem ſic includit: *Ce n'eſt pas la premiere fois qu'on a tenu ce langage; mais les Anatomiſtes ne l'admettent point: & je crois que cette Hydropiſie prétendue entre les deux Lames du Peritoine, n'eſt autre que celle de l'eſpece rapportée par M. Mouton*, nempe inter Abdominis muſculos & peritonæum. Eratque eadem de ſede hujus Hydropis ſententia magni *Ruiſchii* Obſ. anat. chir. nº. 45. Videantur hîc *Douglas* & *Winſlow* de Peritonæo.

2º. Saccati Hydropes fluctuant nonnunquam in abdomine, nullibi accreti. Ipſe *Morandus* talem communicavit cum *Acad. Reg. Sc. Par.* ann. 1718. Cujus ſacci particula, in ipsâ paracenteſi lacerati, claudebat cannulam, extractâque cannulâ, vulnere prodibat, & ad duas ulnas extrahebatur, poſtquam demum abundantiſſima aqua efluxit. Addit oblongas has lacinias laceratam membranam verè retuliſſe. Attamen aquas, citò renatas, alteram, & tertiam paracenteſin, unius menſis ſpatio ſingulis interpoſito, poſtulaſſe. Jam verò in *Act. Acad. Chir.* addit in ejuſdem hominis denati cadavere detexiſſe ſe hujus ſacci reliquias, liberè in abdomine, nullâ factâ adhæſione, hærentes.

3°. Tumores hydropicis in corporibus reperire est, qui Peritonæo non accreti, imò ab eodem remoti sunt, & suo nihilominus loco fixi immobilesque. Fœmina in Nosocomio nostro, cujus Historia pag. 62. relata, gerebat tumorem maximum, durissimum, ad digiti lati distantiam à Peritonæo remotum; ut interposita aqua manifestò docebat. Tumida ejusmodi corpora, à peritonæo multùm remota, variis visceribus, seu radicibus inhærere, sequentia probabunt.

4°. Nonnunquam sacci Hydropici, tumoresve purulenti, steatomatosi, scirrhosi, à scirrhoso Hepate, Liene, Mesenterio, Omento, Utero, Ovario &c. proficiscuntur, tenuiore, ampliore, pedunculo inde penduli; iidemque aut liberè fluctuantes, aut lapsu temporis demum tum vicinis partibus, tum peritonæo affixi.

A. Ita inveni in Septuagenariâ Ovarium stupendæ molis, totum ferè abdomen explens; aquâ, ichore, pure, infarctum, undique liberum; simulque verum præterea Asciten.

B. Marsupialis figuræ ingens Omentum, saccum Hydropicum fecit ipsum, totâ facie anteriore cum Peritonæo, posteriore multis in locis cum intestinis

connatum, in Viro cujus hiſtoria habetur pag. 70.

C. Tumores univerſi abdominis, inæquales, compoſiti ex meris Hydatidibus, integrum ventrem replentibus, extendentibuſque, in ſaccis quamplurimis Lympham continentibus, *Ruiſchio* comparebant *Obſ. anat. ch. n°. 46.*

D. Hydrops abdominis datur cum tumentiſſimo & inæquali Hepate, in Hydatidas toto converſo. *Ruiſch. ibid.* n°. 45. Et iterum n°. 65. ubi pertuſio ejus letalis fuit.

E. Venter in Hydropico inæqualis, inventus à morte fuit pluribus, iiſdem mole prægrandibus, in Meſenterio deberi tumoribus. *Blanckard Cent.* 2. *n°.* 30.

F. Idem n°. 25. detexit, præter caſum *Ruiſchii* ad Lit. C. ſimul verum Aſciten. Hæc ipſa fœmina initio ab Hydrope curata videbatur, remanente duritie lapideâ in abdomine; recrevit poſtea malum.

G. Geminum ventris tumorem Virgo gerens, falsò creditur ab obſtetricibus paritura gemellos, moritur. Meſenterium exhibet duo ingentia ſteatomata, quorum alterum pus ac ſaniem in ca-

vum ventrem effuderat, ipſum uterum eroſerat. *Tulp. Lib.* 2. n°. 33.

H. In Meſenterio Tumor reperitur 20. Libr. pondere, extrinſecus membranaceus, intus hydatidibus refertus; ſed præterea & Hydatides aderant Aſciten facientes. *id. ibid.* n°. 34.

I. Tumor Pancreatis ac Meſenterii 10 ½. Libras ponderans, invenitur cum enormi Aſcite. *Blanck. Cent.* 1. n°. 37.

5°. Ipſe uterus immane quantum aquis poſſit extendi! Fluctuationis perceptionem percuſſo abdomine exhibet, mentiturque Aſciten. *Blanckard Cent.* 2. n°. 29. Uterus hic continebat ichoris, ac materiæ oleaginoſæ 85. Libras mercatorias.

6°. Ventriculus in Hydropici cadavere invenitur ſedes eſſe Hydropis, ulnæ magnitudinem habens, peritonæo firmiter accretus: ita ut ſectio, quæ puncto abdomine aquæ 90. Libras eduxerat, reperiretur eam ex cavo eduxiſſe ventriculo. *Idem. Cent.* 1. n°. 84.

7°. Hydatidas multas in cavo abdominis extendi poſſe, in punctis contactuum mutuò inter ſe agglutinari, aliâ ſui parte cum peritonæo coaleſcere, in cadavere Quinquagenariæ inveni: ita quidem ut clarus apud *Haganos Velſius* egoque

pertundentes Abdomen, inveniremus fortè 20. & plura conceptacula aquæ, ſingula mediam, integram nonnulla Libram aquæ continentia, concreta tum inter ſe in punctis contactuum, tum cum peritonæo. Ovarium ſiniſtrum caput infantis recens nati referebat; dextrum, biennis: hydatidibus utrumque cinctum.

8°. Actis *Edimburg.* part. 2. n°. 30. refertur mira prorſum hiſtoria juvenis hydropici, ei, quæ pag. 62. ex Noſocomio noſtro recenſebatur, ſimillima, ortu, progreſſu, figurâ, ſymptomatibus. Paracenteſi 12. Libris virideſcentis Lymphæ eductis, æger poſtridie moriebatur. Triplici cauſæ hîc fuit ventris adſcribenda moles. 1°. Aſciti. 2°. Hydropi Lienis, qui ſupernumerariam tunicam à Peritonæo, quâ parte Diaphragma ſuccingit, accipiens, inter hanc & propriam ſuam tunicam, aquæ limpidæ, non coagulabilis, ſed admodum muriaticæ, ſex Libras continebat. 3°. immani Veſiculæ felleæ amplitudini, quæ in concentricos loculos, ſingulos bilem continentes diviſa, octo libras bilis ſpiſſioris gerebat. Porrò neque veſica fellea neque lien deprehendebantur peritonæo connati.

9°. Datur ventris tumor enormis, durus, æqualis, in corpore ſummè cachectico, ubi omnis ſuſpicio enormis hydropis ſaccati adeſt, maximè cum abdomen totum expleat, exceptâ infimâ hypogaſtricâ regione; ubi tamen monſtroſa abdominis moles unicè debebatur ſaniſſimis, &, citra notatum Anatomicis exemplum, mole immenſis, Hepati, & Lieni; ut 2. Jan. 1759. publicè demonſtravi in cadavere adoleſcentis 14. annorum, ſpinâ ventosâ omnes dorſi ac lumborum vertebras, etiam os ſacrum exedente, enecti.

Sufficiunt, ni fallor, hæc, tam claris deſcripta Autoribus, quàm obſervata nobis exempla, ut varietas pateſcat cauſæ, ſedis, phænomenôn in Hydrope abdominis. Quærebatur modò num certius, tutiuſque, adplicatis hucuſque, auxilium noſſet Ars noſtra, ad curandum hunc morbum?

Intentio expertorum *Acad. Gall.* Chirurgorum ea demum eſt, ut in Hydrope ſaccato foramine Paracenteſeos non contenti, idem inſigniter dilatent, latamque aperturam diutiſſimè apertam ſervent; ut haud modò is, qui in ſacco cavo eſt, effluat humor, ſed etiam ille qui poſthac aliunde in eumdem influit.

Quippe ſaccum, foramine paracenteſeos clauſo, à vaſis in illum hiantibus denuò impleri, idque citiùs quàm priùs, tertia citiùs, quàm alterâ vice, & ſic porrò: latâ verò aperturâ factâ, quod in ſaccum de integro perpluat, tranſſudetve, exſtillare id foras: ſacci latera, haud extenſa ampliùs, concidere, corrugari, condenſari: hinc exhalantia in illum vaſa ſenſim arctari, minui, deleri, in fibras ferè abire: hâc lege demum tam parum in ſacco colligi debere, ut totum facilè aperturâ effluat, & ſaccus concidat totus. Id verò totum quo ritè fiat, Artificem oportere maturiùs advocari, quàm ut ingens jam factus ſit ſaccus. Opus hoc faciliùs promoveri continuis injectionibus, v. g. Decocti hordei, mellis &c. Imò eo pervenerunt, ut ſtatuant quamprimum percepto Ovarii Scirrho, & nondum prodigioſo ſacco inde producto, ipſius extirpationem indicari: quod illibatâ vitâ, illibatâ ſanitate, effici poſſe quibuſdam allatis teſtimoniis ſtatuminare ſatagunt. Finemque demum his omnibus *Morandus* imponit exclamatione ſuperiùs citatâ; *Eſſe ita cum Modernâ Chirurgiâ comparatum, magna tentare ut auſit:*

*nimium fore nunquam, qui ipsi proponatur, curandi scopum.*

Nequeo non laudare, summisque celebrare encomiis, qui artem promovere nostram generosè annitantur. Plurimis enim adminiculis jam gaudemus, quæ difficilia, imò quæ impossibilia ætas remotior crediderit. Industria humana nullis addicta hypothesibus, solis innixa observationibus, Artis nostræ pomœria in dies extendit, eorumque, qui id perfecerint, nomen æternum cluet. Hinc cum reliquis publicis Actis, quibus numerosæ Eruditorum Sodalitates, ut cæteras artes, ita & nostram, perpoliant, illustrent, extendant, hæc chirurgiæ *Parisinæ* Acta per omne ævum clarebunt. Sed antequam egregia hæc *conamina quæ Theoria formavit*, unum quoque alterumve experimentum suggessit, *stabilem praxeos legem* forment, perpendendæ primùm erunt, quæ in eâdem exsequendâ occurrant, difficultates.

Primùm itaque, ut à Castratione exordiar, si eam in avibus pecudibusque homines instituant, non inde datur ad castrandas mulieres argumentum. Nam primò in brutis nihil periclitamur si inde pereant, ut quædam inde perire certum

est; in homine homicidium, si inde periret, foret. Secundò, non habemus, qui affirment, scriptores, inter humanas femellas inculpatè id tentatum esse. Videtur quidem à *Morando* autoritas *F. Plateri*, ac *Diemerbroeckii* laudari; verùm, ut mihi saltem videtur, minùs convenienter. *Plateri* locus est *Libr.* 1. *Obs. pag.* 261. 262. Totum quod dixit, *meræ speculationis* est: imò quo sermone ad finem utitur, eo apertè testatur & sine vitæ periculo aliquo institui non posse, & nondum se legisse quòd à quopiam id tentatum fuerit. Et quid hîc *Diemerbroekii* autoritas? Disertè condemnat ille *Plateri* speculationem, statuitque citra summum vitæ discrimen, & citra summum Christianorum dedecus, id nunquam posse fieri, *Anat. Libr.* 1. *cap.* 24. *Igitur haud oportuisset, ut mihi videtur, hos binos laudare autores, qui nihil minùs, quàm quod egregius Vir velit, statuerint.* Quod *Hesychius*, & *Athenæus*, & *Alexander ab Alexandro*, de barbararum Gentium nefando, aliumque in scopum intento ausu meminerint, etiam nullius esse ponderis mihi adparet. Quid enim nobis, cum gentibus efferis, qui mancipiorum vitæ se arbitros crederent? Et si *Franckenau* casu

ſemel viderit in vivis manſiſſe fœminam, cui in vulnerato abdomine ſimul ovarium periret, quid inde ad praxin? Si per momentum ſupponeremus ſani ovarii exſectionem nefandam ſalvâ vitâ fieri nonnunquam poſſe, an ideò concludemus Ovarii degeneraſcentis, vaſaque diametri ingentis habentis, exſectionem etiam ſine periculo fieri? Id mox patebit.

Sed ſecundò dico & rationi adverſari. 1°. Scirrhoſum Ovarium eſt, quod integrum exſcindere eſt animus. Scirrhoſum porrò Ovarium & ego, & mecum plures, multoties in cadaveribus deteximus undequaque connatum, ſcirrhoſiſque annexum productionibus. Ut periculum ingens tunc eſſet, ne vel Tuba *Fallopii*, vel Fimbria ejus, imò ne vel ipſa læderentur inteſtina, aliæve nobiles, quibuſcum connatum ſit, partes. 2°. Scirrhoſa pars, ut mole creſcit, ita & vaſorum diametro: abſcindendo igitur Ovarium, poterit Chirurgus hæmorrhagiam, cui ſedandæ impar ſit, producere; modò v. g. ſpermatica arteria ad ſuum, in Ovarium, ingreſſum, diametro multùm amplificata ſit. 3°. Non ſemper ovarium eſt, quod durum extenſumque in laterali

Hypogastrio detegimus, verùm aliquando tuba degenerans, ipseque uterus, ut pag. 56. advertimus ex *Hippocrate*. 4°. Ipsa vulneris consideratio in corpore Cachectico, ut passim hæ mulieres id habent, quod hîc latum esse oportet, hanc operationem condemnare videtur, ratione eorum, quæ sub ipsâ, postque ipsam, generalis vulnerum historia docet. Consultum igitur mihi videtur, hanc Operationem haud ita promovere, ne fortè temerarii nonnulli chirurgi eâdem in humanam perniciem abutantur.

Jam ipsam sacci hydropici dilatationem examinemus.

1°. Sacci hi habentur tantæ sæpè molis, ut integrum fermè expleant abdomen, cohæreantque cum Peritonæo, & Visceribus abdominalibus. Apertura igitur lata, diuque servata aperta, poterit sacci quidem minuere profunditatem, vix verò ejus aut latitudinem, aut altitudinem. Ergo vasa liquorem in cavum saccum instillantia vix contrahentur; & quia prementis liquoris resistentia ablata est, copiosiùs jam fundent humores suos: quæ ratio primaria est cur etiam post Paracentesin Hydrops longè citiùs quàm antea recrescat. Etenim in-

cipiente primùm Hydrope, vasa in initio minima sunt, parumque transmittunt. Extendente se sacco, amplificantur & vasa illius. Quandiu magna est resistentia à liquidis sacco contentis, vasa lentè, quamvis sensim jam amplificata, novum liquidum stillant, adeòque primum Hydropem lentè producunt. Dum verò distentissimus saccus, humoribus evacuatis nullam in suâ cavitate, resistentiam habet, vasa ampliſſima vacuata, aliunde validè implentur, & intra mensem fortè plus liquidi suum in saccum effundunt, quàm triennii olim spatio. Igitur in dato hîc casu corpus totum extenuetur oportet, derivatione humorum undique factâ in cavum saccum. Sed & aër, vulneribus adeò pernicioſus, latiſſimâ superficie vulnus, totumque hunc saccum alluens, idque in Cacochymico corpore, putredinem brevi inducere potest.

2°. Sacci hi & à me, & à claris, quos citavi, Autoribus, & à plurimis aliis, aliquando inveniuntur digitum, duosve digitos crassi: ita ut licet humor lato vulnere assiduo effluat, iidem tamen contrahere se nequeant. Unde vasa in saccum se evacuantia, si jam intus nullam resistentiam offendant, copiam

certè longè majorem aquæ dabunt, cum diametro auctâ maneant.

3°. Iidem ſacci ſæpiùs reperiuntur poſticâ facie cohærere cum Inteſtinis. In his hominibus ſenſim ac lentè comprimuntur Inteſtina, & tandem difficulter, & cum dolore, exonerant ſeſe. Hinc male habent. Ubi verò ſaccus evacuatus eſt, idemque durus ac craſſus eſt, Inteſtina illi nonnullis in plagis connata, vehementer dolere atque inflammari poſſunt, cum aquis ſublatis minùs preſſa, liberiùs agant, moveantque ſeſe, connata ſacco duro tamen. Et hinc fortè pro parte dolores illi ac ſpaſmi quos primò à paracenteſi tempore conqueri homines ſolent.

4°. Neque craſſæ duntaxat ſubſtantiæ nonnunquam hi ſacci ſunt, verùm etiam ingentibus obſita ſcirrhis; ut iidem illi, quibuſcum nunc agitur, fatentur autores. Scirrhi hi, præſente aquâ ſuſtinebantur, fulciebantur: jam verò iiſdem elapſis, ſaccoque concidente, ſe mutuò fricant, diroſque minitantur Cancros.

Oggeret forſitan quiſpiam tum hanc, tum n°. 3. allatam difficultatem, æquè in paracenteſi obtinere, quàm in dilatato vulnere ſacci; adeòque ſi ratioci-

nium hoc quid valeret, etiam paracenteſin ultra inſtituendam non eſſe. Sed huic reſpondeo primò, Paracenteſin in his deſperatis caſibus modò inſtitui, ut certa alioqui pernicies procraſtinetur. Secundò ſubitum aquarum à Paracenteſi reditum hunc motum, hunc impedire affrictum. Unde nullius vis hæc objectio eſt.

5°. In ipsâ hâc dilatatione, quæ ad 3. 4. 5. digitos lata ſæpe fieri debeat, oportebit ſæpè ipſos tranſcindere ſaccos. Præterquam quòd ſcirrhus ſic vehementer irritetur, vaſa ſanguinea in ſcirrho magna, nec duris in his maſſis facultate ſe retrotrahendi gaudentia, hæmorrhagiam letalem producere poterunt; quemadmodum Scirrhi & Cancri Mammarum toties oſtendunt. Videor equidem ſapientem *Morandum* n°. 8. teſtari: *Il m'eſt arrivé pluſieurs fois de porter le Trois-quarts dans ces maſſes (Skirreuſes) il en ſortoit du ſang; je reportois le Trois-quarts en d'autres points, l'eau ſortit, & il ne réſultoit de la fauſſe ponction d'autre accident, que la douleur paſſagere d'une piquure.* Verùm primò, latâ ſectione longè plures arteriæ perſcinduntur, quam in punctură *Morandi*. Secundò, ipſa ſcirrhi natura docet ejuſ-

modi puncturam haud ſemper impunè patrari. Tertiò in relatione hujus Autoris non notatur eos, quibus punctura talis inutilis facta eſſet, ad ſanitatem rediiſſe.

6°. Sæpiùs tumores reperire eſt in Meſenterio, in Hepate, Ovario, in ſaccis ab ovario, aliiſve viſceribus, productis; qui, ut exempla allata docuere, peritonæo nullibi accreti ſunt. Ita in binis noſtris in Noſocomio fœminis, hydropico maximè abdomine nullus tumor percipiebatur, quia tumorem inter peritonæumque moles aquarum. Vacuo autem abdomine, & maximè recreſcere cœptis aquis, digiti aut pollicis diſtantia intereſſe clarè deprehendebatur. Si hoc in caſu latâ plagâ abdomen, ſaccumque perſcindam, effluent quidem ex utroque aquæ, ichor, ſanies, pus, quodcumque demum in eodem continetur; ſed ex ſacco ſimul aliquid in cavum ventrem effluet, ubi ille evacuatus fuerit: & quandiu illa lata apertura patebit, ſemper plus in cavitatem peritonæi ſtillabit, quàm extra illud, cum nulla hîc adhæſio ſit. Porrò ſi aqua pura exſtillat, erit Hydrops perpetuus ventris; ſi liquor putridus, brevi abdominis ac pelvis viſ-

cera peſſundabuntur, mortemque accelerabunt.

7°. Nonne latum hoc abdominis vulnus inutile videtur, imò noxium, in Caſibus nº. 4. Lit. G. & I. nº. 5. 6. 7. 8.?

8°. Quod jam ſupra innui, ſi quis velit vulnus 3. 5. 6. & ultra, digitos latum, abdomenque penetrans, ſemper omni prorsùm periculo carere, eique hoc per momentum concedamus, haud tamen illi concedemus Vulnus tantum, in Corpore cacochymico & cachectico, ut ejuſmodi homines paſſim ſunt, vacare periculo. Vulnera in ſanis periculo vacua, ſolent haud rarò in morboſis periculum inferre; ut toties in Relationibus ad Judices Medici ac Chirurgi teſtantur.

Has utique nunc enarratas difficultates lubens fateor me hucuſque impediviſſe, quominus optimorum Virorum *Acad. Reg. Par.* tum amplexus ſententiam fuerim, tum exſecutus: certiora priùs obſeruata, numeroſioraque experimenta, in ſubſequentibus Acad. Tomis, antequam imitari auſim, expecta-turus.

Paracenteſin interim præfero hucuſque, quia in ſaccato Hydrope vitam

alioqui ſuffocandam protrahit, & intolerabiles minuit anxietates. Si pluribus utriculis liquor contineatur, vix juvabit; ſed neque tunc utilis incidendi methodus erit. Si Scirrhi adſunt viſcerum, neutrâ methodo curabuntur, ſed eductio aquarum per paracenteſin Scirrhis minùs nocebit, quàm incidendi methodus, ut ad nº. 4. oſtendi. Si verò unus alterve caſus extat, in quo Paracenteſin mors brevi ſequatur, ut erat monſtroſus ille hydrops pag. 66. oportet hoſce deſperatos cæteroqui exiſtimare, ita ut etiam citra Paracenteſin mors ſubſecuta fuiſſet. Porrò agitur hîc tantùm de Paracenteſi in cyſtico hydrope inſtituendâ; ſi enim verus aſcites eſt, iſque recens, & corpus cæterùm bene habet, paracenteſis ſimul & ſemel Hydropem non rarò curat integrè.

Eſt nihilominus, ubi Natura ipſa exceptionem faciat, & abdominis latam aperturam indicet. Aug. 22. nos fœmina acceſſit, quæ 5. Junii pepererat. Hæc à dextro umbilici latere dolorem tempore graviditatis perceperat, à partu verò tuberculum; quod ſenſim creſcens tandem in tumorem durum abivit, qui pluſquam 5. pollices utrâque diametro referebat, eo dolentiorem, quo mole

majorem. Utrumvis in latus illa decumbebat, hic tumor planè immobilis erat, peritonæo proximus, & verosimiliter eidem accretus. Mensibus à partu carebat. Appositi emolliens atque discutiens cataplasma, remediaque solventia interna præscripsi; attentus in eventum, quem tumor hic dolens, nullam febrim comitem habens, esset habiturus. 29. Aug. dolor, tumor, rubor, externo jam abdomine observabantur; quare emolliens, & maturans cataplasma adhibitum est. Posterâ die, copioso pure fluctuante, apertura lanceolâ facta est; exivit puris dimidia libra, ut & die sequenti, reliquis quidem diebus minùs, quo tempore deligabatur vulnus, sed continuò tamen hucusque pure locus totus madet. Injectiones cum aquâ hordei & melle bis die fiunt, & aperturam, sat latam, diutissimè apertam servare animus est. Tumor minuitur totusque emollescit. Dolor vix observatur. Stylus ductilis reperit saccum undique clausum, sed sensibilissimum. Hic nunc casus est, Naturâ monstrante viam, in quo *Parisina* Methodus juxta perpetuas Naturæ leges usui veniat; alias ineluctabilibus difficultatibus, ut mihi saltem videtur, plena.

§. IV. Supersunt quædam Problemata solvenda. I. Quid causæ, quòd factâ Paracentesi sæpè longè citiùs renascatur Hydrops, quàm primùm natus esset? Respondi jam pag. 85. ad hanc quæstionem. Ponamus Hydropem cysticum primum nasci in parvâ cujusquam visceris Hydatide. Lentè admodum Membrana continens à mole minimâ in majorem extenditur, ut semianno, biennio, quadriennio, decennio, & quod plus est, indigeat, antequam verum referat Asciten. Factâ jam paracentesi Membrana maxima, intus cava, Lymphaticis osculis pertusa millenis, mox denuo repleatur necesse est; cum nulla intus resistentia sit, & in inania spatia humores undique veluti attrahantur.

II. Undenam Hydropici aquam nonnunquam citissimè colligunt? Ita ut à Paracentesi elapso vix octiduo nonnulli 50. Libras aquæ recolligant, interea temporis vix potantes? Idque ad singulas paracentesses? Cur in relatis Historiis vix poti homines, singulo mense 100. Libras paracentesi evacuarint?

Cum neque ore liquor corpus intraverit, neque ipso corpore suppeditari potuerit, necesse est ipso in aëre causam

quæri. Adverterat ſuâ in Chemiâ Clariſſimus *Boerhaave* aëra, etiam ſiccum, aquâ ſaturum eſſe, inde corpora humeſcere, & ſi apta, quæ veluti attrahant, corpora inveniat, aquam inibi deponere ſuam. Ita Cap. de Theoriâ Aëris, explicans quomodo uncia una ſalis tartari ſicciſſimi tandem uncias quatuor olei tartari per deliquium, aëri tantummodò expoſita, exhibeat; credit 1°. hoc fieri vi, ut dictum eſt, attractrice inter aquam aëris, & alcalinum ſalem. Vel 2°. ex eo quòd in loco quieto, clauſo, ſubterraneo, ubi hoc experimentum fiebat, aër perpetuò moveatur, & ſic ſuam aquam ſucceſſivè ad ſalem adplicet. Vel 3°. ex eo, quòd aquæ partes ita moveantur per aëream molem, ut jam in hâc, jam in aliâ parte ſpatii aërei ſint, atque ita tandem omnes concurrant cum illo ſale, qui intra hunc aëra eſt poſitus. Addit demum: « Verùm credibile eſt » omni de genere Experimentorum, » quòd omnes illæ cauſæ ſimul concur- » rant ad eumdem effectum producen- » dum. » Ne quis autem credat experimentum in humido ſubterraneo aëre modò ſuccedere, haud verò in ſicciſſimo, addidit *Boerhaave* experimenta ſic-

ciſſimo hyemali aëre facta, quibus evicit etiam ultra tertiam ponderis ſali accreviſſe ſpatio 14. dierum.

Quæ cum ita ſe habeant, credibile admodum Hydropicis corporibus latentem diſpoſitionem ineſſe, quâ aëris aquam continuò imbibant. Et ſi intra paucos dies ex ſicciſſimo ſale tartari naſcatur oleum tartari per deliquium, id eſt, ſi ſal tartari ex aquâ aëris, tribus quartis partibus pondere intra paucos dies creſcat; haud ita mirabimur hominem 150. Librarum, paucos intra dies, Libris 50. & pluribus graviorem fieri, & novâ paracenteſi totidem aquæ Libras emittere, licet toto eo tempore vix liquidi quidquam hauſerit. An ſacci hydropici poſt paracenteſin Vacuitas in omnibus aquam aëris attrahat, & ſic unà cum datâ antea causâ hydropem renovet actutùm? Intelligitur hinc humidâ Athmoſphærâ, humidis ædibus, Hydropem in Prædiſpoſitis naſci faciliùs renaſcique.

III. An credendum cum doctiſſimo *Bianchi* quòd Bilis defectus cauſa Hydropis ſit, aut ejuſdem ſaltem effectus? Ita nempe egregius vir ſcribit Hiſt. Hep. pag. 147. « Pallida igitur occurrit » *ordinariò* ad Cyſtin ſuam Bilis in De-

» licatulis, in Chlorosi, pallidior in
» Cachexiâ, fluxibusque Cæliacis, *pal-*
» *lidissima & ferè absque ullâ flavedinis*
» *tinctura, ac tantùm non aquea, in*
» *Hydrope*, aliisque morbis diuturnis,
» in quibus sensim deperierit emicatio
» in sanguine: in hisce *interdum* affec-
» tionibus albescens observatur, & can-
» dida; ut vidit *Diemerbroeck.* » Quantum ad bilem insipidam. « In Cachecti-
» cis, ait p. 170. præcipuè mulieribus,
» aliisque lentè ægrotantibus, delin-
» quentem hoc ritu bilem *ordinariò* vi-
» demus.

Antequam respondeam, examinandus est, qui ex *Diemerbroeckio* hîc laudatur textus. Est ex ejus Anatome, ubi de bile agit. Invenit bilem Vesicæ post diuturnum Hydropem candidam, & utcumque viscidam. Hucusque res convenit cum observatis Cl. *Bianchi*: sequitur verò aliquid quod non convenit; nam ex Ductu Choledocho, & ex Poro Biliario, Bilem flavam versùs intestinum fluentem vidit.

Ergo 1°. *Diemerbroeckii* experimentum in Hydropico factum id quidem confirmat, quod de Cysticâ bile *Bianchi* refert, non verò demonstrat idem, quoad Hepaticam bilem: Bilis verè flava

flava Hepate ſecreta, ad inteſtina fluxit. Potuiſſet hic homo ictericus fieri, ſine ullâ vel minimâ flavæ bilis guttulâ in Veſiculâ.

2°. Hoc ipſo experimento intelligitur hominem & ictericotatum poſſe fieri, & ſimul flava reddere alvi excrementa. Si enim ponamus hominem ſanum, quâcumque causâ obſtructione in ductu cyſtico natâ, reddi ictericum; bilis flava ex poro hepatico ad duodenum fluens tingere excrementa debet.

3°. Hoc eodem experimento concludimus in ictero, dum albæ fæces ſunt, vel nullam bilem ſecerni hepate & veſiculâ, vel obſtructionem eſſe in Ductu communi, aut ad Duodenum.

4°. Itidem inde apparet Hepaticam bilem in Cyſtim non influere, ut communiter creditur, ſed totam in Duodenum abire. Neque ſuſpicio hîc haberi poteſt anguſtioris forte cyſtici ductûs; cum Autor dicat miratum ſe illius amplitudinem fuiſſe. Unde rectè judicat Cyſticam bilem peculiari fabricâ tunicæ internæ Veſiculæ generari, ſtagnatione perfici; defectu tamen ejus flavam bilem Inteſtina ſubire, excrementaque tingere poſſe. Certè ſi pulcherrima *Liberkuhniana* Præparata, Microſcopiis

inſerta, quæ Ill. *Baro van Swieten* Academiæ noſtræ dono dedit, attentè contemplemur, convincimur mirabilem hujus tunicæ ſtructuram magnis uſibus neceſſariò deſtinatam eſſe. Unde cum eodem Ill. Viro, *Cap. de Hepat.* fatemur, quod « artificio ſummo, & penitùs pe-
» culari reptatu, arteriæ numeroſiſſi-
» mæ decurrunt per membranas veſi-
» cæ felleæ, uti injectiones anatomicæ
» docuerunt; unde admodum veroſi-
» mile videtur peculiarem adeò vaſo-
» rum apparatum ſervire hîc ſingularis
» liquidi præparationi & ſecretioni.

Hæc nunc de *Diemerbroeckii* teſtimonio in quantum firmet, & non firmet Cl. *Bianchi* ſententiam.

Probatur etiam *Ruiſchii* obſervatione, n°. 87. invenientis in cadavere Hydropici Hepar induratum, veſicam felleam ſextuplò majorem naturali, ſed aquosâ plenam, inſipidâque Lymphâ; in ductu verò Choledocho calculum Ciceris majoris magnitudine, omninò obturantem hunc meatum.

Convenit etiam *Bianchi* ſententia cum nonnullis meis obſervatis.

Anno 1744. Junii 30. cum doctiſſimo *Velſe* bimeſtris infantis cadaver luſtrans, veſiculam felleam inveni turgi-

dam valdè, ſed humore planè aquoſo plenam, guſtu amaritiem vix ullam referente. Poſt hydropem pectoris, acidum terribile, copioſamque pituitam vitream, perierat infans.

21. Dec. 1758. idem in Noſocomio publicè demonſtravi in cadavere Hydropici, cujus Hepar granuloſum totum. Ter ego, pluresque adſtantium, aquoſum veſiculæ liquorem guſtantes, ne minimum quidem percepimus amarorem. Nec pellucidus inſipiduſque modò liquor, ſed gelati inſtar tremulus fuit & cohærens. Portio ejus igni in Cochleari expoſita nihil coagulabatur, ſed avolabat in auras, tenui pelliculâ relictâ: portio alia ſyrupum violarum viridem fecit.

Igitur plures caſus dantur qui idem, quod *Bianchi* voluit poſuitque, confirment; at verò ſæpè contrarium obtinet. Deditâ operâ rem examinans, bilem flavam, amaram, pluries in Hydropicorum cadaveribus inveni, demonſtravi. In Tympanitico puero, cujus morbum à defectu bilis pag. 60. deduxi, demonſtravi tamen bilem veſicæ flavam, amaram, poſtea recreviſſe ipſo cachectico ejus ſtatu. Et in *Diemerbroeckii* enarrato caſu, licet cyſtica bilis pallida eſſet,

aderat tamen hepatica flava. Equidem Anonymus autor in *Act. Edim. Tom. I. Diss. 33.* statuit Hepaticam Bilem blandum humorem esse, qui parvam biliosarum particularum copiam modò haberet: ita quidem, ut dubitet num, à bile hepaticâ retropressâ, tum profunda flavedo, tum penetrantissima amarities, tum quævis alia, quæ subitò in Ictero adparent, symptomata proficisci queant? Attamen plus simplici vice bilem pori hepatici demonstravi flavam admodum, gustuque perquàm amaram: licet cysticæ flavedine amaroreque cedentem. Quis noverit an, bile cysticâ palidâ, non frequentior contingat *Diemerbroeckii* observatio? Saltem meam ejus examinandæ negligentiam in posterum emendabo.

# CAPUT IV.

## DE COXARIO MORBO.

§. I. *Varia de Coxarum morbis. Cur nati hi externis de cauſis dubiam haud rarò Diagnoſin habent; imò cur eodem in morbo juſtè data Diagnoſis, poſtmodum falſa reperitur. Inſignis morbi varietas demonſtratur exemplis.* §. II. *Nec certior ſæpè conſtantiorque ejus Natura adparet, dum internis ſolis, vel miſtis ſimul internis externiſque de cauſis proficiſcitur.* §. III. *Notabilis caſus juvenis fœminæ id demonſtrans.* §. IV. *Examen quæſtionis, num Coxendice affectâ, tumidâ, præſentem teſtatâ materiem, ampla apertura facienda ſit? Negatur in genere, & in ſpecie.* §. V. *Examen Doctrinæ* Hippocratis *de Coxari morbi naturâ, eventu, curâ; eâque occaſione multorum ejus textuum expoſitio.* §. VI. *Curatio ſequentibus Hippocraticum ævis celebrata enarratur, diſcutitur.* §. VII. *Ratio cur, Articulo Coxæ affecto, multi non curentur? Imò cur plures inde pereant? Phthiſis iſchiadica.* §. VIII. *Laus Corticis Peruviani cum Lacteâ diætâ,*

*desperatis aliquando in rebus vitam sanitatemque restituentis, conservantis.*

§. I. PERMULTÆ sese obtulerunt in Nosocomio occasiones Coxarum morbos cognoscendi, quarum rationem jam dedi in singulis Tomis *Rat. Med.* Cum verò frequens admodum morbus sit, novas Observationes addam, quibus latens sæpè obscurusque morbus clariorem sui Diagnosin postmodum præbere, tutiùsque curari possit.

Multùm sæpè & acriter utrinque disputari solet, quando femur post casum laborat, sitne os femoris luxatum tantummodo, an fractum? Et si fractum, utrùm ad Epiphysin, an in cervice? Vel an in Luxatione frangatur Ligamentum teres, an verò possit sufficienter extendi, ut os aberrans sequatur? &c. Non est hujus loci ea enarrare quæ *Petit*, *La Motte*, *Heister*, aliique ad varios hos defectus internoscendos pulchra scripserint. Tractatum Chirurgicum non scribo, sed casus medico-chirurgicos in Nosocomio & alibi mihi observatos duntaxat communico. Hinc dixisse sufficiat vario admodum modo hæc se habere: ita ut 1°. Cervix frangatur, ossis capite in Acetabulo manente. 2°. ut frangatur

Epiphysis, & ab osse solvatur; maximè in junioribus: non tamen ita semper. 3°. ut os femoris integrum luxetur, fracto ligamento tereti. 4°. ut illud luxetur, hoc elongato, sed integro 5°. ut ipsum caput ossis cum Acetabulo morbosè uniatur, & perfecta fiat eaque immedicabilis Anchylosis.

In puero decenni, robusto, luxationem introrsùm, deorsùm factam, perfectissimè restituimus; sed quo nobis curæ integritas patescceret, diuturno eum tempore in Nosocomio servavimus. Licet fortè rariore casu ligamentum fractum uniri denuò, elongatis utrinque fibris ligamentosis, possit; probabilius tamen est huic puero luxationem integro osse, integroque, sed elongato ligamento tereti, contigisse; cum debitus ac constans articuli motus tam citò adfuerit.

Puer sex cum dimidio annorum sub ludibundo pedum exercitio dolorem percepit ad coxam dextram, cui brevi post tumor accessit. Trium aut fortè quatuor mensium spatio hæc ita perseverarunt, absque eo, quod crus longius, breviusque adparuerit. Deinde verò ad duos circiter digitos latos brevius redditum est. Vix septem mensibus ab origine

morbi elapsis, diarrhœâ, febre, convulsione periit. In cadavere vidimus caput ossis femoris ad crepidinem superiorem acetabuli locatum. Ligamentum teres omninò desiderabatur. Tumida admodum glandula in cavo acetabuli, ut caput ossis femoris intra illud excipi ultra non posset. Mira igitur contorsio, & inde nata inflammatio primùm adfuisse videtur, cum subsequente degeneratione *Haversiani* smegmatis, cum erosione atque consumptione tum ligamenti teretis, tum ligamenti dicti ad teretem accessorii, ex cavo Acetabulo enati. (vide *Schwencke* Obs. de Lig. c. os. fem. connectente interno, ad finem *Hist. Sang.*) Undè demum caput ossis femoris ex Cotulâ trudi ceptum, crus sensim brevius redditum, & integra, sed extensa adhuc Capsula, idem caput ossis ad superiorem cavi Acetabuli marginem applicatum.

Similem historiam in nosocomio vidimus puellæ 16. annorum, quæ quatuor annis dolorum in coxâ prægressis, utroque cum crure æquali, tandem incepit crus brevius habere, ita ut nunc ad tres digitos latos altero brevius sit.

Meritissimo ergo jure egregius *Petit*, postquam semel hinc deceptus fuisset,

ſcripſit *part. 1. morb. oſſ. cap. 12.* integram luxationem natam ſe inveniſſe, ubi, bimeſtri ante ſpatio, ſigna evidentiſſima articuli duntaxat læſi, haud verò luxati, affuiſſent. Videtur eodem præcisè modo id *Petito* contigiſſe, quo nobis noſtris in caſibus viſum fuit.

Sed & aliud in Noſocomio obſervavimus. Puer duodecennis, à teneris claudicans, alio morbo mortuus, exhibuit nobis caput oſſis femoris ſuo cum acetabulo firmiſſimè unitum; ita ut videatur à caſu, aliâve violentâ causâ, ſemel nata contuſio, inflammatio, ſuppuratio, eroſiſſe tam caput oſſis, quàm cavum acetabulum: unde demum effectum, ut ambo hæc in unum corpus penitiſſimè coaluerint. Genus igitur peculiare claudicationis, ab Anchyloſi ortum, quale quid etiam *Petito*, ad finem mox laudati capitis, contigit. Simul aderat oſſis Iſchii versùs interiora degeneratio; multùm enim ibi eminebat in loco acetabuli.

Concludimus ergo in affectionibus oſſis femoris, & articuli coxæ, à cauſis externis ortis, Diagnoſin ſæpè plurimum difficultatis, incertitudiniſque habere; tum & inconſtantem eamdem ideò eſſe,

quòd lapsu temporis affectionum harum tota natura mutetur.

§. II. Verùm non minorem ambiguitatem sæpè infert hujus Articuli affectio, quam vel causæ merè internæ, vel internæ cum externis combinatæ produxerint. Mala nempe plurima hunc articulum occupant. Levior contusio, quæ fortè sine accedentibus internis causis non nocuisset; Communis inflammatio; Diathesis arthritica, rheumatica, scorbutica, venerea; Metastases denique, morbos varios, teterrimosque, circa hunc locum frequenter generant. Multa exempla dedi *Rat. med. part.* 1. *cap.* 7. *pag.* 76. *part.* 2. *cap.* 2. *pag.* 105. *& ibid. cap.* 8. *pag.* 181. *Et part.* 3. *toto capite* 5. Hisce novam observationem adjungam, totum morbum dein dogmaticè tractaturus.

§. III. Puella 14. annos nata, spatio 7. septimanarum laborans febre intermittente, aut continuâ remittente (id enim ex ejus enarratione ambiguum manet.) emetico tandem dato, febre liberatur; toto interea corpore intumescens, & pellucidis, ad supernos infernosque artus, vesiculis plena. Quibus citra aperturam evanidis, mansit tumidissima.

Diureticis tamen & purgantibus inde ita curabatur, ut domesticos repetere quidem labores posset, sed tamen cum difficultate, ac lassitudine perpetuâ, utque testetur bonâ valetudine nunquam deinceps se usam fuisse. Transegit sic triennium. Postquam tumorem observare cepit ad externum latus femoris dextri, digiti circiter longitudine à cristâ ossis Ilei, versùs os sacrum, & sesqui-digiti longitudine exinde deorsùm versùs, supra Glutæum magnum. Dimissus sibi tumor sex integris mensibus, cataplasmate dein fotus, emollitur, sponte aperitur, funditque puris serique multum, trimestri spatio; tandem adsperso ignoto sibi pulvere coaluit: sic tamen, ut perpetuò doluerit locus, ipsaque postliminio in eundem incumbere non potuerit.

Catamenia ipsi 17. annum ætatis agenti observari cepta, continuarunt quidem, sed & parcè, & quovis alterno tertiove mense tantùm.

Notandum porrò est quod, ante tumorem primò perceptum, iratus Pater, magnâ vi, grave magnumque ligni frustum in illam ab eo fugientem projecerit, femurque dextrum percusserit, contuderitque. Quod quidem utrùm

immediatè ante perceptum dolentis loci tumorem, an dudùm antea, contigerit, haud benè meminit. Ita ut dubium ſuperſit, ſitne tumor ex relictâ Cacochymiâ natus, an contuſione? Alteram fortè cauſam altera promovit.

Annos 19. nata, novum percepit antiquo loco dolorem, qui ignoto emplaſtro adpoſito ruptus, ſimilem, ut olim, materiem dedit. Novembri menſe 1758. ann. 20. attingens, tumorem deprehendit in medio poſtico femore ſibi naſci, findi, puriſque copiam magnam ad medium Decembrim uſque effundere.

Anno 1759. Jan. 5. primùm me convenit, exhibens ulcera duo; unum loco ſuperiore antea deſcripto, alterum in medio poſtico femore. In hoc ſtylus ultra pollicis geometrici profunditatem ferè perpendiculariter intrabat; in illud, pollicis medii. Os utriuſque anguſtiſſimum, ut vix ſtylum admitteret: decurſus totus fiſtuloſum in profundioribus ulcus teſtabatur. Vagæ febres aderant.

Diagnoſis incerta. Probabile erat Cacochymiam antiquam, contuſione externâ ad femur determinatam, tumorem produxiſſe; vel ſi tumor dudùm

præextitiſſet, eum contuſione auctum fuiſſe. Quid autem propriè, quâve ratione læſum hîc eſſet, ſigna non indicabant. Attamen cum omnibus ſuis ærumnis recta adhuc incedebat.

Ut Diagnoſis incerta, ita ambigua Prognoſis. Ut enim Tomis hujus operis anterioribus demonſtratum eſt, dum ad profunda Coxæ Femoriſque, ejuſmodi dolores ac tumores dudùm hæſerunt, interiora paſſim deſtructa ſunt, aut vehementer ſaltem læſa, antequam materies prorumpat foras. Ex quo id contingere ibidem conſtitit, ut Arte poſtmodum aperturam faciente, aër accedat & homo pereat. Attamen rem ſe non tam deſperatè habere ſemper, imò conſequi ſalutem poſſe, etiamſi interna jam pro parte eroſa eſſent, felicia quædam exempla *Rat. med. part. 3. cap. 5.* enarrata demonſtraverant.

§. IV. Indicatio in hujuſmodi calamitatibus parvam facere aperturam jubet : *aperturam* quidem, ut materies interiora peſſumdans foràs alliciatur, expurgarique locus poſſit ; *parvam* verò, quia aër multùm accedens, citio e corruptione accelerare mortem ſolet. Unde aperturæ hæ & rarò & cautè deligandæ ſunt. Hîc porrò cum parvam aperturam

Natura feciſſet, de aliâ faciendâ, eâdemve dilatandâ cogitandum non erat.

An tamen latior apertura, arte facta, non præſtitiſſet, præ fiſtulis hiſce binis, quæ ſponte natæ tantillùm modò de mali ſcaturigine auferrent?

Neutiquam. *Primò* repetita toties experientia nos, alioſque, nocumenta latioris aperturæ ſæpe docuerat. *Secundò* ſtyli ſenſim profundior, atque ad os demùm ferè penetrans ingreſſus, vetabat certè omnia hîc perſcindere; Vaginam femoris, Glutæum maximum, Bicipitis Cruris caput longum, ſub eoque Nervum Iſchiadicum, tum Arteriam Venamque inſignes, quæ ex magno trunco Arteriæ ac Venæ Cruralium mox anteriùs, in inguinibus, oriuntur, deinde ad poſteriora femoris penetrant; tandem & Semitendinoſum. Præterquam quòd Vaſa inſignia ex Cruralibus ſeſe per Adductores magnos femorum penetrantes, ſupraque eoſdem decurrentes, hîc lædi poſſent. Anno 1756. Vexillifer in Noſocomio, ſuppuraro femore & crure, indigebat ad medium femur poſticum aperturâ. Ramus autem adeò notabilis ibi decurrebat, ut ſiſtendæ hæmorrhagiæ vix pares eſſemus. Metus igitur Hæmorrhagiæ, Convulſionis, Claudicationis,

dilatare hîc latè profundèque, omninò vetuit.

§. V. Quid ergo in ejuſmodi malis, ubi à cauſis ſive internis, ſive externis, Coxa viciniaque ejus afficiuntur, agendum?

Lex Noſocomii noſtri immutabilis eſt Medicinam *Hippocraticam* facere, *Hippocratem* in omnibus, maximè autem in difficilioribus, conſulere, conſultum ſequi; niſi poſteriora obſervata, quod tamen rarius, illum jam correxerint, & emendarint. Erat igitur denuò ſpecimen juventuti Medicæ dandum, quo caperet, quâ lege *Hippocratis* mentem inveſtigare, veſtigia premere deberent.

Occurrebat 1°. Aphoriſmus 31. ſect. 4. Τοῖσιν κοπώδεσιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν, ες ἄρθρα, ἢ παράτας γνάθους μάλιστα, αἱ ἀποστάσιες γίγνονται. « Laſſatis per febres abſceſſus » maximè fiunt ad articulos & circa ma» xillas. » Quotidiana quippe obſervata docent his, qui à morbo febrili aut acuto haud ritè judicantur, laſſitudines manere, ſenſumque gravitatis; à materiâ, quæ vel admodum morboſa, vel ſaltem à ſanitate aliena in corpore oberrat, cum reliquis circumfertur humoribus, & per multa vaſa minima penetrare

nequit. Hæc ipsa materies, quamvis nonnunquam febres, sive inflammatorias, sive hecticas letalesque producat, sæpe tamen ad Parotidas, Coxasve, aut ad alias partes metastaticè defertur. Incertum porrò, quandiù hæc sit oberratura in corpore materies, antequam ad loca certa deponat sese. Incertum etiam an non eos affectura sit locos, qui affecti, vel partium quæ afficiuntur, vel totius corporis, inferant perniciem. Posse nonnunquam diù humoribus mistam manere, cumque iisdem circumduci, & experientia pluries in Nosocomio docuit; & peculiariter de Metastasi ad Coxam observasse *Celsus* videtur *Lib.* 4. *Cap.* 22. *de Coxarum Morbis*: « Eoque » id genus, inquit, difficillimè cura- » tur, quòd ferè post longos morbos » vi pestiferâ huc se inclinat: quod ut » alias partes liberat, sic hanc ipsam » quoque affectam prehendit.

Attamen in hac incertitudine *Hippocrates* indefatigatâ suâ observandi industriâ eò pervenerat, ut præsciret an non brevi tempore oberrans hæc materia ad certò determinatam partem adpelleret? Aph. 32. Sect. 4. « Quibus ex » morbo resurgentibus aliquid dolet, » ibi abscessus fiunt. » Materies quippe

ad certam corporis regionem deferri cepta, quæque per minima ibidem vasa penetret inepta, extendit eadem, nervos subjectos interpositosque premit; hinc tunc perceptio doloris. Porrò dolor ille, descripto rerum in statu, innuit hujus impulsionis primordia poni, adeòque futurum monet ibidem abscessum.

Imò in his lassitudinibus post febres relectis, locum ipsum prædefinire, etiam ante natos dolores, audebat *Hippocrates*, Aphor. 33. sect. 4. « Sed etiam si » quid doluerit ante morbum, ibi se » figit morbus. » Etenim si homini pars quæpiam ante morbum doluerat, bonâ Crisi ea quoque saneſcebat: Crisi vero imperfectâ prægressâ, timendum nunc erat, ne heterogenea materies, lassitudines post febres efficiens, eum peteret locum, qui ex antiquiore dolore jam obstructus, hincque debilitatus, crassiori morbosæ materiæ transitum necessariò denegaret.

Sic *Epid.* 7. *Sect.* 7. *apud Foës. pag.* 1193. morbos circa brumam ortos describens, Tusses nimirum, Peripneumoniam, Anginas variæ speciei, & Paraplexias « Anginæ autem, inquit, & » Paraplectica mala, aut dura & sicca

» erant ; aut parva , & rarò maturum
» educentia. Nonnullis verò etiam mul-
» tum educebatur. Qui ergo plus voce
» malè habebant , aut rigore corripie-
» bantur , iis tusses in Anginas potissi-
» mùm desinebant. Qui verò manu
» ægrè habebant , manibus tantùm re-
» soluti fuerunt. Qui autem equitarunt,
» aut plurimum viæ confecerunt ,
» ἢ ἀλλοτι τοῖτι σκέλεσι ταλαιπωρήσαντες,
» τετέοισιν ἐς ὀσφῦν , ἢ σκέλεα , ἀκρασίαι
» παραπληγικαὶ , aut alioquì cruribus
» male habuerunt , iis Lumborum , aut
» Crurum imporentiæ ex resolutione
» obortæ sunt , & ad femora tibiasque
» lassitudo ac dolor.

Epid. 4. pag. 1132. « *Apemanti* so-
» roris filius tumida præcordia , & Lie-
» nem habuit. Crebra spiratio erat, alvi
» egestio glutinosa , & biliosa , quibus-
» dam excrementis permistis. Κοπιώδης
» ἐξ ἔργων , cum ex opere defatigatus
» esset , 20. die abscessus in pedes decu-
» buit , idque ex judicatione , quâ de-
» lassatis ejusmodi , non ad oculum
» verbi gratiâ , sed ad articulos , abs-
» cessus decumbat.

Idem observaverat in aliûs generis metastasibus , v. g. iis , quæ , post im-manem tussim cessantem , partes para-

lyticas redderent, Epid, 4. 1138. « In
» tussibus iis quidem, qui manibus la-
» borant ( male habebant ) velut *puero*,
» qui sarmenta contorquebat, & *Amyn-*
» *thæ* filio, ubi utriusque solius dextra
» resolutio contigisset, cessabat tussis :
» postquam enim tussiverant, hâc affec-
» ti sunt. Qui verò aut equitarunt, aut
» pedibus iter fecerunt, in Lumbis &
» Femoribus eam sensserunt.

Itaque, secundum *Hippocratem*, Juvenculæ nostræ ideò ad Coxam materies decubuit, quòd suo in famulatu pedibus, unà cum toto corpore delassatis, multùm uteretur ; quodque etiam contusio ad eundem locum contigisset. Atque hæc de *Hippocraticâ* Diagnosi ac Prognosi : examinanda jam ejus curatio est.

Epid. 4. pag. 1127. « *Moscho* nono
» die largus ex nare sinistrâ, paucus
» autem ex dextrâ, sanguis effluxit. In
» 14. diem, prout debebat, judicatio
» ab initio commovebatur. 17. die er-
» rata in ciborum ratione contingebant.
» 19. noctu enatum est ad aurem dex-
» trum tuberculum parvum, intus du-
» rum, foris paulùm molle, dolorem
» inferens, nec remittens. Purgatione
» rejecta sunt admodùm biliosa, puru-

» lenta, Sepiæ atramento maximè simi-
» lia. Neque secus, ac is, cui admota
» Cucurbitula, cum dolor ad Coxendi-
» cem esset, in crus descendit, alleva-
» tus est.

Nimirùm *Moschus* acuto morbo communi laborabat, quem dies 14. pro parte judicaturus videbatur, atque dies 17. integrè fortè judicasset, nisi Diætæ errores hanc Naturæ intentionem & conatum interturbassent. Hinc die 19. fortè finiente, aut 20. inchoante, Metastasis ponè aurem contingebat; haud tamen cum totius morbosæ massæ eò versùs determinatione, siquidem constet ejusdemmet portionem intestina petivisse. Attamen *Hippocrates* curam hujus Metastaseos eodem modo perfecit, quo ejus, qui metastasin patiebatur ad Coxam; nempe Cucurbitulis.

Et pag. 1128. « *Qui ex figulino equo*
» *decidit*, cui nec illicò admota est cu-
» curbita, ἀναύδε ἔσω, intus ustus est,
» ac die 20. malum recruduit; sangui-
» nis profluvia fæculenta, & erodentia
» prodierunt.

Epid. 5. pag. 1143. « In *Œniadis Eu-*
» *polemus* Coxendicis & Inguinis do-
» lore conflictabatur, ut & in toto loco
» propinquo Coxæ junctura, ab ingui-

» ne, & anteriore coxendicis parte.
» Huic ſanguis ex malleolo detractus
» eſt, admodùm multus, nigerque
» idem, & craſſus: epoto autem medi-
» camento alvum deorsùm purgante,
» multùm purgatus eſt, & melius qui-
» dem ei aliquâ ex parte fuit. Dolores
» verò non ceſſabant, ſed tum Coxen-
» dicem, tum illius juncturam, tum
» Cochonam » (Cochone eſt illa pars tota ſuperioris femoris anterior, poſte-riorque, quæ eſt à criſtâ Ilei & Pube, uſque ad extremum Tuber oſſis Iſchii, cui inſidemus. Vid. *Gorræum in Def. & Foëſ. in Œcon.*) « tum etiam inguinis
» loca, ſuppuratio occupabat, ibique
» dolor erat intenſior. Pus autem *os*,
» potiùs quàm *carnem* pervadebat, &
» aliquandiu ſic ſe habere ignoraba-
» tur, donec admodùm debilis extite-
» rit.

Tandem Cruſtis valdè multis, iiſque
» magnis ac denſis, inuſtus eſt, puſ-
» que multum & craſſum effluxit, ac
» paucis poſt diebus interiit; tum ex
» ulcerum magnitudine & multitudine,
» tum ex corporis debilitate. Hic vide-
» batur ſanari potuiſſe, ſi unicâ amplâ
» ſectione ſectus fuiſſet, & ſi per eam
» ſectionem pus effluxiſſet: aut ſi alterâ

» sectione opus fuisset., amplam eam
» facere : & hæc omnia ἐν τῇ ὥρῃ, ido-
» neo suo tempore, instituere opor-
» tuisset.

» *Lyconi* in Æniadis in reliquis qui-
» dem eadem contigere, dolores ta-
» men ad crus non admodum pervade-
» bant, neque purulentus extitit, ve-
» rùm sanus longo intervallo. Medica-
» menta autem ebibebat ( φάρμακα, me-
» dicamenta purgantia) & Cucurbitulas
» admovebat, sanguis mittebatur, at-
» que interea melius habere videba-
» tur.

» *Larissæ Scamander* Coxendicem
» syderatam habuit ( ἰσχίον ἐσφακέλισε,
» coxendicem sphacelatam habuit, ) &
» os diù disparatum ἀφεστήκος. Hic post
» magnam sectionem, etiam usque ad
» os ipsum factam, denique inustus est,
» actum 12^mo. post sectionem die con-
» vulsio cœpit, ac magis detinuit.
» Convulsione autem tentabatur crus
» ipsum ad latera usque, quæ ad alte-
» ram etiam partem perveniebat. Crus
» autem contrahebatur & extendeba-
» tur, cæteraque membra movebat, &
» maxillæ riguerunt. Hic, octavo post
» convulsionis insultum die, convulsio-
» ne periit. Utriculis verò concalefac-

» tis, ex Orobis, Ervis, ad curationem
» totum corpus fovebatur, & ab Ene-
» mate paucum ſtercus tandem prodiit.
» Medicamentum ſinceram bilem affa-
» tim deturbans, φαρμακον καταποσὲς,
» bibit, & repetivit. Ac ſeceſſit qui-
» dem alvus, nihil autem opis inde tu-
» lit. Somnus parvus venit. Rursùſque
» epoto ſub veſperam valido medica-
» mento, ſinceram bilem affatim de-
» turbante, ſub ortum ſolis mortuus
» eſt. Ἐδόκει δὲ ἂν πλείονα χρόνον διενεγ-
» κεῖν, εἰ μὴ κατὰ τὸ φάρμακον τὴν ἰσχὺν.
» Videbatur autem longiore tempore
» morbum laturus fuiſſe, niſi propter
» violentiam remedii periiſſet.

§. VI. Ex his cunctis liquet ſummam horum malorum curam Priſcis in eo poſitam fuiſſe, ut internis externiſque auxiliis materiem à Coxâ revellerent.

Ac 1°. quidem ſectio & uſtio frequenter adhibebantur, ſpemque curæ ipſis ſemper magnam videntur feciſſe. Ita ut quemadmodum pag. 118. animadvertebamus, mortem *Eupolemi* adſcripſerit *Hippocrates* debitæ ac tempeſtivæ ſimulque profundæ ſectioni neglectæ. Itidem legimus pag. 1151. edit. *Foëſ. Hippocratem Cyrenii*, & *Hecaſonis* mortem, tardiùs factæ inuſtioni adſcrip-

ſiſſe. Imò utrumque hoc extremum remedium ſimul adhibitum fuiſſe docuit *Scamandri* mox data hiſtoria. Sectionem unam, latam, amplam, quandoque pluribus parvis prætuliſſe magnum virum, caſus *Eupolemi* manifeſtat. Sed ſimul partibus jam ſphacelatis hanc methodum non profuiſſe, nimiâ jam factâ internorum deſtructione, antequam malum foras ſe verteret, *Scamandri*, aliorumque exempla, luculenter demonſtrant.

Sectiones itidem hæ atque inuſtiones leguntur quidem ad os uſque factæ, at in ſphacelo tantùm, ubi vel nihil, vel profundiſſimè ſecandum eſſet, & ubi mors cæteroqui certiſſima inſtaret. Cæterùm amplæ ac latæ, haud verò nimis profundæ, inſtituebantur, & à ſubſequentium ſæculorum Medicis inſtitutæ leguntur.

Hinc *Celſus Lib. 4. cap. 22.* inuſtionem duntaxat ſuperficiariam commendare videtur: « Ultimum eſt, inquit, » (& in uteri morbis quoque efficaciſ- » ſimum) tribus aut quatuor locis ſuper » Coxam, Cutem candentibus ferra- » mentis exulcerare.

Legitur quidem *Hippocrates Lib. de int. aff. cap. 53.* apud *Chart. tom. 7.*

*pag.* 677. jubere Iſchiadicis « πολλὰς » ἐσχαρας, καὶ βαθείας καῦσαι, eſcharas » & multas & profundas inurere; » ſed ideò profunditatem ad os uſque intelligere non videtur. In obeſis certè poteſt profunda uſtio eſſe, quæ tamen adipem vix omnem penetret. Imò os ipſum vitari oportere laudato mox loco innuit *Hippocrates*, jubens » Eſcharas multas » profundaſque inurere in oſſeis quidem partibus fungis, μύκησι; in » carnoſis verò, ferramentis. » Et alio hujus libri loco jubet inuri modò Lino crudo.

*Proſper Alpinus Libr.* 3. *de Med. Ægyp. cap.* 12. innumeras *Ægyptiorum* curas, cauterio plurimis in morbis peractas, enarrans « Hinc mirum, inquit, non eſt, ſi proſperè hoc remedium in omnibus articulorum doloribus curatu difficilioribus experiuntur; potiſſimùmque in Coxendico » dolore multas uſtiones, non modò » ſupra articulum, ſed etiam ſupra femur, facientes. » Gens porrò illa, ut idem refert, inuſtiones facit Goſſypio, linteo involuto, filis ſericis compreſſo, in conum formato, perpendiculariter perforato, cujus coni perforati baſin loco inurendo apponunt, interea dum in-

cendant apicem. Unde etiam ſuperficiaria videtur eorum uſtio eſſe. *Paræus Lib.* 18. *cap.* 28. ad digiti (lati procul dubio) profunditatem locum hunc inuri jubet, idque tribus, quatuorve, diverſis per ambitum articuli plagis; „ cavendo, inquit, ne Nervi lædantur. „ Cæterùm raros invenimus, qui ad os uſque inuri locum jubeant, *Tulpium Lib.* 3. *cap.* 26. *Deckers Exerc. pract. pag.* 34. alioſque paucos, ſi exceperis.

Referenda huc famoſa *Moxa*, ſive *Artemiſiæ Lanugo*, quam *Indi* parant. Agit nempè, quo priora, modo. Vim enim Artemiſiæ peculiarem hîc non agnoſcimus. *Olaus Borrichius* dudùm adverterat majorum virium in Iſchiade curandâ hanc cum Artemiſiâ factam inuſtionem non eſſe, ipſis veſicantibus. Et ſi, quæ pro & contra ſcriptitata fuerint ſuperiore ſæculo, apud *Bonetum Med. Sept. Tom.* 2. *Lib.* 6. *Sect.* 5. *cap. de Arthrit.* attentè pervolvimus, abundè convincimur hoc auxilium, adeò olim decantatum, tam caro pretio ſolutum, præ reliquis inuſtionibus nihil ſingulare habere.

2°. *Cucurbitas Hippocrates* híc impensè laudat; laudarunt omnes poſt il-

lum Autores. Iteratâ harum actione, Revulsio neceſſe eſt ab interioribus versùs exteriora fiat. Continuò enim magnam in molem elata integumenta, humores huc undique alliciunt: ſpeſque ſic fit, fore ut hâc lege & moveatur, & attrahatur, quæ profunda in ſede locabatur, morbi materies. Idque revera fieri, innumera teſtantur exempla.

Ad Inuſtiones & Cucurbitas, meritò referimus lata *Veſicantia* noſtra. Clariſſimus *Boerhaave* aïebat ſæpiùs nobis, ſi vellet arcanum quoddam vendere, id fore tectas, & ſub alia ſpecie occultatas Cantharidas, in Iſchiadicis. Hoc remedium Emplaſtri formâ, palmâ manûs majus, adplicabat Coxæ, & dein, poſt ingentem veſicam contractam, auferebat, vulnuſque percurabat: dolore non abeunte, repetebat idem octiduo poſt; idque aliquoties ad tertiam, quartamve vicem: quamvis rarò id ſibi contigiſſe teſtaretur, ut quarto Emplaſtro indigeret. Innumeri ſunt, quos in Noſocomio hâc Methodo ab annoſioribus hiſce ærumnis percuraverimus. Hæc autem cura vix obtinet ubi locus ſpontè exulceratur; ut in caſu Juvenculæ noſtræ; quamvis etiam in ambitu ulcerum ſemel iterùmque explorata fuerit.

3°. Laudavit hîc *Hipp. Venæ Sectiones.* Nec datur ferè autor, qui eamdem haud commendaverit revellendi animo, ſi indicatio utcumque vel juberet, vel permitteret. In initio tamen proficua magis futura, quàm progreſſo malo, videtur.

4°. *Purgantia* & *Clyſmata* adhibuit, poſtque ipſum omnes. Præter Revulſionis intentionem generalem, veteres videbantur quid peculiare ab his remediis expectare; ſaltem ab enematibus. *Dioſcorides* clyſmata hîc adplicabat ex acerrimis omnium purgantibus. An Anatome hanc Veterum experientiam forſan confirmat? Arteria Natium *Winſlowo* dicta, producit Hæmorroïdalem internam, aliam omninò ab iis arteriis, quas vulgò Hæmorrhoïdales internas appellare conſuevimus; ſimulque dat ramum ad Articulum femoris; imò dat Ramulos qui interiorem ſubſtantiam perreptent Nervi Iſchiadici. Præterea Ramus primus Arteriæ pudendæ internæ dat Ramos Hæmorrhoïdales internos, & Ramum anteriùs poſteriùſque decurrentem ſupra cervicem oſſis femoris. Atque hæc de communibus Arteriis; ſi autem Nervos contemplemur, à Nervo Iſchia-

dico, pelvi egreſſo, Ramus proficiſcitur, qui Anum petat.

5°. *Chliaſmata*, ſive *Fomenta tepida*, egregii usûs deprehendêre, cum *Hippocrate*, Medici omnes; maximè ſi cum farinoſis in Cataplaſma redigerentur. Conabantur hinc omnia laxare, & per laxatos poros acres adigere ſtimulos. *Dioſcorides* in Iſchiadicis miſcuit Cataplaſmati radicem Scammonii, ipſamque Colocynthidem. Nullus ferè Autor eſt, qui peculiare quoddam acre hic non commendaverit. Videte *Proſp. Alp. Med. Meth. Lib. 9. cap. 5. Foreſt. Lib. 29. Obſ. 22. in ſcholio.* Iſchiadis ſubita admodum curatio deſcribitur à *Boneto Med. ſept. Tom. 2. pag. 575.* partem affectam primò probè fricatam, igni dein expoſitam, fovendo hoc Linimento. ℞. Sapon. ven. raſi unc. 1. Aq. Reg. Hung q. ſ. Deinde fricando unguento, quod ex ung. Alth. Thereb. & Ol. Lumbr. pararetur. Egregium Belli Ducem *Hagæ Batavorum* iteratis veſicantibus fruſtra ferè vexaveram. Semicuratus iter ſuſcipere debuit. Loco, quo perrexerat, quietus, ferendo dolori non erat. Matrona conſulit totum quantum femur involveret emplaſtro quod ex pulvere Maſtiches cum ſpiritûs vini ſ. q. para-

retur. Adplicuit, dolore immunis *Hagam* rediit, rem mihi patefecit totam. Desperatis pluribus hoc consilio profui. *Calx viva cum melle*, vel cum unguentis quibusdam mista, plures egregias curas mihi edidit.

6°. *Frictiones tum siccæ, tum humidæ*, rebus penetrantissimis institutæ, pertinaciter continuatæ, sæpiùs utilissimæ inventæ sunt; ut jam exemplis ad n°. 5. patuit.

7°. *Thermas* commendant, laudantque plures. His curari multos, multos minimè compertum est. Plures vidi qui *Aquisgranensibus*, qui *Badensibus*, &c. usi, vel nihil lucrati essent, vel in pejus versi. Laudat tamen *Schultetus* proprio exemplo suo virtutes Balnei *Thalfengensis*, vulgò *Gesundbrun*, in Agro *Ulmensi*: cujus usu Ischiadico dolore, aliis quidem remediis olim cedente, sed tamen iterùm redeunte, jam à novennio carebat. *Embroche* in desperatis semper tentanda est, licet habeamus, quibus non profuerit; prodest tamen aliquando.

8°. *Fonticulos* & Veterum multi, & usus hodiernus, sæpè salutares invenêre. Irritatio est perpetua, perpetuusque revellens effluxus.

§. VII. Veruntamen in cunctis hiſce tum Veterum, tum Modernorum methodis adhibendis, Prognoſis ferè ſemper incerta eſt : cum natura mali nos prorsùm lateat ; nec niſi ex effectibus, &, ut aïunt, à poſteriore, nobis ſæpè manifeſtetur. Conſiderentur varii tantummodò, qui afficiuntur, loci ! Prava materies hæret fortaſſis in cute modò, vel in Panniculo adipoſo, vel in Faſciâ latâ ; vel in involucris Muſculorum ſuperiorum inferiorumve, vel in involucris Iſchiadici Nervi, vel in Perioſteo ſuperioris partis oſſis femoris, vel in Perioſteo oſſis Iſchii, vel in oſſeâ parte Acetabuli, vel in Capsâ ligamentosâ Articuli, vel in Cartilaginibus ſeu Os, ſeu Cavum acetabuli incruſtantibus, vel in Glandulâ magnâ, vel in Ligamento tereti, ejuſve ſive alterutrâ, ſive utrâque origine, vel denique in pluribus harum partium ſimul. Deinde ad loca tam varia etiam multiplex adpellit materia. Eſt enim ſerum acre Podagricum, Rheumaticum, Scorbuticum, Venereum ; ſi locus primariò afficiatur : vel eſt ichor, ſanies, pus, acrimonia jam expoſita, metaſtaticè huc aliunde delata : vel eſt materies genita ex prægreſsâ loci hujus communi inflammatione. Quæ-

cumque jam materies ſit, ſi non corrumpatur, ſi eliciatur extrorsùm, ſi nova non ſuecedat, ſi nihil intùs dextruxerit, integram poteſt admittere curam. Si verò expulſam priorem nova ſubſequatur, recidivas facit, curaſque inconſtantes. Sed enim verò ſi corrumpatur, diùque ibidem hæreat, cunctas hîc partes peſſumdet neceſſe eſt. Ita vidimus in Noſocomio nunc ipſos Muſculos, Nervoſque putredine liquatos; nunc Os femoris carioſum; nunc laceram articularem Capſulam; alio tempore Acetabulum carioſum fractum; aliâ vice caput oſſis totum, eroſo ligamento, extra Acetabulum; iterùm Acetabulum deſtructum totum, ita ut vel illud ſolum, vel & Os Iſchii, & Os Sacrum, & Vertebræ Lumborum, carie conſumerentur; nunc iterùm perfectam Oſſis femoris cum acetabulo Anchyloſin &c.

His ergo omnibus, quæ ad variam morbi ſedem, variamque materiæ Naturam ſpectent, conſideratis, minùs mirabimur tam curas inconſtantes, quàm caſus deſperatos: erimuſque in Prognoſi cautiores, cum morbus toties fallat nos. Quid dicam! cum ipſum τὸν παγὺ fefellerit *Hippocratem*. Juvat textum adducere ex Epid. 5. pag. 1151. « *Hecaſoni*

» in *Omilo*, ex Corporis impuritate,
» & pravâ (seu intempestivè datâ)
» purgatione, gravis in Coxendicem
» dolor incubuit. Quo quidem demit-
» tente, febribus correptus est, diùque
» Lectulo decumbens, neque bibebat
» quidem, neque sitiebat. Debilis qui-
» dem erat, & crebrò inhorruit. Huic
» probè quidem, ut conveniebat, mor-
» bus sublatus est; corpus autem ex
» oblatis opem percipiebat. » Igitur videbatur laborasse *Hecason* Phthisi verè coxariâ, Hecticas febres, cum frequenti horrore, & magnâ debilitate, inducente. Morbo liberari visus est, viresque deperditas bellè recuperare, ut jam sanescere videretur. Sed an sanus factus est? « Tandem, ait, morbus per infe-
» riora erupit, ac totus cum multâ bile
» secessit, & mente motus interiit. »
Ergo morbus lucido quodam intervallo latuerat, & veluti curatus habebatur; & quidem ita, ut *Hippocrates* subjungat, « ἐδόκεε δὲ ἂν ἐκφυγεῖν τὸ νόσημα »
» *Hecason* videbatur morbo emergere »
» è morbo evadere. » Sed interea tandem morbus per inferiora secessit, occiditque *Hecasonem*. Id quod Phthisicis solenne est, ut Diarrhæâ colliquante pereant. Hujus *Phthiseos Ischiadicæ*

exempla plura præcedentibus Tomis *Rat. Med.* dedi, morte paſſim terminatæ. Diarrhœa hæc colliquans latenter promota *Eupolemon* occiderat, pag. 1145.

§. VIII. Haud omnium tamen in hâc Phthiſi Iſchiadicâ ſortem æquè deſperatam eſſe, binis exemplis luculentis *Tom. 3. Rat. Med. cap.* 5. clarè vidimus. Ipſiſſimaque juvencula, cujus caſus totum hoc caput genuit, eâdem, quâ illæ binæ, methodo; lacteâ ſcilicet Diætâ, cum largo Corticis Peruviani uſu; huc uſque bene ſe habet, ulcere Lympham modicam exſudante. Lymphæ autem hujus inde revellendæ causâ, fonticulus inciſus eſt. Hoc tempore toroſa, robuſta, duros labores indefatigata perficit, idque jam trimeſtri ſpatio. Cæterùm ſapones Herbæque ſaponaceæ atque antiſcorbuticæ dictæ, ſi largiſſimè ſumantur, egregium uſum habent, ubicumque ſpes reſolutionis aliqua ſupereſt.

# CAPUT. V.

## DE APOPLEXIA ET NERVORUM MORBIS.

§. I. *Variæ causæ remotæ Apoplexiæ unam modò eamdemque causam proximam facientes; cadaveribus sectis demonstrantur; simulque practicè disseritur circa Apoplexiam, sive desperatam, sive sanabilem, ex causarum expositarum contemplatione.* §. II. *Examen causæ cur toties Apoplexia aut generet paralysin, aut ipsum sequatur? Eâ occasione ostenditur causam eamdem proximam in decem v. g. hominibus, decem varios cerebri nervorumque gignere morbos. Ideòque quid iidem hi morbi commune inter se, quid diversum habeant, & quinam demum ex illâ diversitate effectus diversi producantur, examinatur.* §. III. *Reperitur tamen ab omnibus hisce Catalepsis maximè abludere; cujus miræ historiæ enarrantur, examinantur, magnamque partem inexplicabiles declarantur: quâ occasione etiam aliquid de somnambulis.* §. IV. *Examen quæstionis, cur cerebro uno in latere affecto, oppos-*

*tum latus Paralysis prehendat? Assertio hæc justos intra terminos limitatur contrariis observationibus. De lymphâ cerebri non concrescibili.*

§. I. NONNULLOS morbos reperire est, qui sæpiùs licet visi, inspectique demonstrati cadaveribus, repetito tamen frequentiùs examine, Medicinam magis illustrent magisque: quos inter apoplexiam eique affines morbos meritò recensemus; de quâ porrò, utquid dignè proferamus, primò historias morborum varias, cadaverumque sectiones præmittemus.

Anni currentis 15. Aprilis, fœmina 102. annorum habita, in Nosocomio *civico* extinguebatur. Cadaver petieram, Fati senilis prospectum auditoribus daturus. Exp. Nosocomii illius Physicus *Erndl* sequentem primò dabat Anamnesin: Autumno elapso febrim continuam passa erat, Hyeme diarrhœam. Aptis restituta medelis, viribus tamen sensim defecit; ut lectulo perpetuò affixa, Cardiacis semper fovenda esset. Brevi ante mortem, *en*, inquit, *morior*; sumpto autem Cardiaco: *gaudeo*, ait, *denuò me recolligo*; simulque desiit vivere. En jam quæ dabat anatome!

Muſculi abdominales ſoli quidem tenuatiſſimi; cæteri verò muſculi omnes tendineſque femorum, ſurarum, colli, dorſi, omninò carnoſi, toroſi, pinguedinoſi, ut in ætate mediâ. Egregia omnia viſcera ventris. In thorace itidem boni pulmones; Cor, vaſa majora, ut in homine ſano 30, annorum, ſe habebant. Haud igitur quod expectaveram & demonſtrare geſtiveram, inveni: inveni autem quod non cogitaveram. Intra cranium nempe, ubi cerebrum totum minimè ſiccum, ſed maximè naturale erat, cruor ater, ſpiſſus, effuſus erat ſub Piâ Matre, ad lobum poſteriorem ſiniſtrum ita quidem, ut cavum, pollicem capiens, in hoc lobo expleret.

Eſt apoplexiæ ſpecies, ſolo ſpirituum defectu oriunda, quæ huic fœminæ jam pluries intentaverat mortis minas. Cum paucâ tamen quantitate ſpirituum, ope Cardiacorum, tum replentium, tum excitantium, refecta, vitam protraxit. Jam verò effuſus cruor ſubjecta preſſit. Cranio enim ſemper exactè pleno, preſſio grumoſi ſanguinis in lobo poſteriore cerebri removebat à ſe per ambitum lobi ſubſtantiam; ea remota ſubſtantia premebat vicina ſibi, atque ita com-

preſſio progreſſa videtur ad ipſam uſque medullam oblongatam : quo demùm factum, ut pauca illa ſpirituum copia, quâ debilis hæc vita eouſque ſuſtentata protractaque fuerat, interciperetur, eâque interceptâ, mors adeſſet. Utrùm nunc ſanguis ſenſim ibidem colligi ceperit, an effuſus recenter fuerit, incertum : poſſe tamen ſubitò ante mortem effundi ſequentibus demonſtrabitur.

2. Die 19. Febr. ex eodem noſocomio adferebatur mihi cadaver ſenis, qui, ſtrenuus ſemper helluo vini, eodem ſeſe triduo ante mortem ita impleverat, ut in ipsâ ebrietate Apoplexiâ ἀχυρῇ tactus, bidui ſpatio extingueretur.

Dura Mater bona, tota verò Pia dicta Aneuryſmatica & Varicoſa omninò fuit, idque non in ſuperficie modò, ſed inter omnes cerebri anfractus ſeu volvulos, & inter utrumque hemiſphærium, potiſſimùm verò ad tempora. Ventriculus anterior cerebri ſiniſter grumoſi ſanguinis eam habebat copiam, ut commune cochleare expleret, dexter dimidium paulò fluidioris. Cerebelli Pia Mater, maximè ſiniſtri, ut ea cerebri, ſe habebat.

Alcoholis eſt, dum ſanguine ſuſceptum circumducitur, illum rarefacere.

Spatium igitur majus occupantes humores, vasa extendunt, dilatant, simulque eadem dilatata, quòd vehementem stimulum circumferant, in validiorem adigunt actionem. Repetitâ multoties hâc actione, debilitantur sic vasa, ut communi & tranquillâ humorum circulatione languidè tantùm reagant, nec nisi stimulo repetito debitè suos propellant humores. Sed demonstratum est repetitâ rarefactione humorum vasa debilitari. Ergo quò sæpiùs necessarius est stimulus, ut torpor vasorum excitetur, eò frequentiùs eadem rarefactio, vasa extendens, causam debilitatis adauget. Et hinc demùm tristis illa necessitas vini spirituumve, copiam sensim augendi, cum vasa de die in diem debiliora, à consuetis ultra non afficiantur. Hinc sensim homo ita flaccidus adparet, ut, qui DEI est imago, jam referat *Bacchi* simulacrum. Hinc igitur capimus cur arteriæ venæque Piæ Matris aneurysmaticæ ac varicosæ fiant: id quod videtur tolerari utcumque posse, absque eo quòd vasa dehiscant, quia æquabiliter sustinentur; at in ventriculis cerebri alia res est. Vasa innumera plexûs Choroidei possunt pro momento sine resistentiâ esse, si plus lym-

phæ ex iiſdem reſorbeatur, quàm in illos influit. Vel ſi id non fit, ſaltem vaſa in rore vel liquore perpetuò ſita, debilitari ac dilatari, prædictis internis de cauſis ita queunt, ut facilè dehiſcant: præterquam quòd acrimonia in his corporibus nata, acrem ventriculis lympham inſtillet, quæ eadem vaſa corrodat, facilèque diſſolvat. Hinc demùm effuſio ſanguinis. Hinc ventriculi ſanguine turgidi totum cerebrum ac medullam oblongatam comprimunt. Hinc capimus unciam ſanguinis, intra cranium effuſam, inter Apoplexiæ cauſas ab Authoribus jure referri.

3. Sartor 55. ann. 9. Aug. 1757. terrore, mœrore, gravique irâ correptus, cubitum ſanus petit. 10. Aug. evigilans deprehendit ſe toto latere dextro tumidum, ac paralyticum; idque haud in crure brachioque ſolis, verùm etiam in genâ & linguâ; ita ut loquens non intelligeretur. Vena ipſi mox ſecta eſt, & quæ reliqua artis erant adhibita; tandem trigeſies balneo *Badenſi* uſus eſt. Quibus omnibus id effectum, ut tumor partium demitteret quidem, & cruri quiſquam rediret motus; Paralyſis verò eodem perſeveraret cæteris in partibus modo.

Primâ vice illum vidi 9. Junii 1758, eumque ab illo die ad *Machinam Electricam* adhibere cepi. Eſt idem ille, de quo *Rat. Med. Part.* 3. *cap.* 6. *n°.* 11. Menſe Januario 1759. in lecto jacens, expeditè poterat brachium digitoſque movere; extra lectum verò minùs. Habent id plures Paralytici, dum incipiunt emendari. Suſtentatis partibus, obſcurus qui redierit muſculis motus, eoſdem faciliùs movet, quàm ſi pendente brachio muſculi totum brachii pondus ſimul ſuſtinere attollereque debeant. Junio menſe vox diſtinctior, tantuſque pedis motus, ut ſolus, ſine ſcipione, magnam circumambulet aulam.

Nonâ autem Junii, ad ſecundam pomeridianam *Machinæ* accedens, dixerat famulo Noſocomii quidem ſibi benè non eſſe, nobis verò nihil, niſi ad 10. fortè ictum. Ducebatur illicò in lectum, ut parùm quieſceret, utque quid ipſi deeſſet examinarem. Illicò magnam præcordiorum anxietatem conquerebatur, & intra dimidiæ horæ ſpatium mentis compos ultra non fuit.. Fruſtra vena ſecta eſt; fruſtra injectum Enema adhibitaque Veſicantia. Deglutitio ſublata prohibuit uſum medicamentorum. Intra quadrihorium expiravit.

In Cadavere Dura Mater à latere ſiniſtro ſinûs Falciformis cum cranio concreverat, ibidemque craſſa ac dura erat. In ſiniſtro cerebri hemiſphærio, potiſſimùm ad latus, varicoſiſſima eadem erat, in dextro autem parùm tantùm. Eâdemque in plagâ, quâ Dura Mater cum cranio cohærebat, etiam arctè coibat cum Arachnoideâ ac Piâ membranis. Sub Arachnoideâ in poſterioris lobi cerebri parte priori & levâ, lympha ſplendens hinc inde ſubrubella adparuit. Eadem lympha coagulata, tremula, conſpiciebatur in lobi hujus poſteriore plagâ, maximè inter medullæ volvulos, ſupra Piam Matrem. Cæterùm, niger ſanguis videbatur omnes medullæ gyros volvuloſve per totum Encephalon ſejungere; id quod adhuc adparebat, profundioribus ſectionibus jam medullæ bonâ parte ablatâ. Ventriculus ſiniſter anterior, ſive ſuperior dictus, & ampliſſimus omninò erat, & tum copioſiſſimâ rubellâ aquâ, tum grumoſo ſanguine plenus fuit; dexter verò ejus compar ſuam & amplitudinem & lympham naturalem habuit. Ventriculus quartus, amplus, copioſo ac coagulato ſanguine diſtentus erat, uſque ad foramen magnum oſſis occipitis.

In ſiniſtro cerebri hemiſphærio quæ enarrata vitia ſunt, ad Paralyſin dextri lateris explicandam ſufficiunt. Vitia ventriculi quarti ad apoplexiam, eamque tam citò letalem, intelligendam quoque facere videntur. Expoſueram ad ægrum II. quo pacto in plexu Choroideo vaſa rodi, rumpique poſſint, ac ſanguinem ſuum intra ventriculos cerebri anteriores effundere. Eadem explicatio valet ad ventriculum quartum, cum & ſpeciem quamdam plexûs Choroidei habeat. Cæterùm ex hiſtoriâ morbi patet hanc effuſionem letalem ſubitò contigiſſe : an forſitan nimiùm repleverit ventriculum in prægreſſo mox prandio? Hâcque lege Aorta, tumente ventriculo compreſſa, impetum majorem in tenera plexûs hujus vaſa excitaſſet?

4. Die Julii 6. 1759. anatomen puellæ feci, quæ jugi Cephalæâ laboraverat. *Jugi* dico; cum, ex quo loqui potuit, eamdem ſit perpetuò conqueſta. Præcipuam verò ejus ſedem ad poſtica oculi ſiniſtri potiſſimùm indicaverat. Cætera hilaris, curſu, ſaltu, luſu indeſinenter ſe exercens, nunquam tuſſire, aut anhelare, nunquam defatigari, à digno parente, *Viennenſi* Medico,

obſervata eſt. Sex cum dimidio annos nata interiit. Octiduo ante mortem ſtupida nonnihil & oblivioſa nonnunquam deprehendebatur, in reliquis tamen omnibus ſana. Quatriduo ante mortem & ipſam prehendit Apoplexia, & dextrum brachium convulſio. Ultimo vitæ biduo convulſio ceſſavit, Apoplexia autem ſine notabili febre placidum vitæ finem fecit.

Dura Mater bona, Pia tota quanta varicoſiſſima utroque in cerebri hemiſphærio. In ſinu longitudinali, ab ipsâ fronte, uſque dum ille in ſinus laterales abit, corpus album reperiebatur, inſtar oblongi vermis. Sinus idem binis in locis habebat membranaceam expanſionem, ab uno ejus pariete in alium porrectam, tenſam. Ad primam harum, oblongum hoc corpus album duas in partes findebatur, quarum altera ſub hâc expanſione, altera ſupra eamdem pergebat: emenſæ autem hæ binæ partes expanſionis latitudinem, quatuor propemodum lineas habentem, denuò coibant; ita ut poſthac Solitarius veluti vermis ſupra poſteriorem expanſionem, ſine ullâ diviſione, tranſcurreret, ſinuſque laterales utrimque ſubiret. Ex ventriculo ſuperiore cerebri dextro uncias

duas aquæ eduximus. Limpidiſſima hæc erat, inodora, igni impoſita non coagulabilis, ſyrupi violarum colorem minimè mutans. Aderat & aqua in fundo cerebri, ad uſque foramen magnum oſſis occipitis; ſed eamdem ibi in vitâ hæſiſſe affirmare non auſim. Fortè enim, dum ſectionem planam juxta lacunar ſinûs facientes, ſimul hunc ſinum leviter læderemus, exſiliens lympha undique deorsùm, adeòque inter Duram Matrem cerebrumque, inſinuare ſe potuit. Unde certè longè copioſior lympha in ventriculo fuerit oportet, quàm quæ inde collecta fuerit. Pulmo totus quantus accretus fuit Pleuræ, Pericardio, Diaphragmati; ipſique inter ſeſe connati mutuò lobi. Modus autem hujus mutuæ concretionis non erat illi ſimilis, qui in pectoris morbis, vel aliàs ad luctamina mortis, à craſſo ſero tranſſudante ortus, digitis commodè ſolvi poſſit: neque ſimilis etiam illi, qui cellulosâ productione, haud omninò difficulter ſolvendâ, ſæpè obſervatur: ſed erat omni in puncto thoracis coalitio firmiſſima, ſolidiſſima, cultello tantùm, magnâque cum patientiâ, demùm ſolvenda; ita tamen ut nonnullis in locis pulmo faciliùs perſcinderetur

ac laceraretur, quàm à nexu ſine læſione ſolveretur: nullibi autem id difficilius quàm toto pectoris ſiniſtro cavo.

Hæc ergo puella poſt perennem Cephalæam demùm Apoplexiâ quatuor dierum moritur. Non morabor hîc peſſimè affecti pectoris in caſu quo, à longâ die, ejuſmodi cauſæ hîc natæ erant, à quibus reſpiratio longè vitioſiſſima oriri debuiſſet; cum de ſimili caſu egerim *Rat. Med. Part.* 2. *cap.* 8. *pag.* 181, 182. Adeòque ad apoplexiam me modò converto. Oblongus veluti vermis ſinûs longitudinalis merus polypus fuit. Patebat id maximè, ubi crura ejus utrimque ex ſinibus Occipitalibus extrahebantur: alba polypi materies incipiebat hîc rubro ſanguine tingi, & ſanguineas fibras à ſeſe dimittere. Confirmabat merum polypum eſſe ejuſdem in aquâ diſſolutio & interitus. Nam, quo poſt aliquot dies eum maturiori examini ſubjicerem, juſſeram non in ſpiritu, ne contraheretur, ſed in aquâ ſervari: quarto autem ex illinc die examinaturus, ferè periiſſe dolebam. Porrò de naturâ polyporum, in humano corpore genitorum, id eſſe, *Rat. Med. Part.* 1. *pag.* 65. demonſtravi, quòd in ſpiritu ſubſiſterent, in aquâ verò evaneſcerent.

An à preſſione intra ſinum genitus polypus, ut variiis exemplis oſtendi *Rat. Med. Part.* 2. *cap.* 7.? Fortè; ſed compreſſione ſanguinis abſente, etiam polypos copioſos generari poſthac 2. Octobris propediem elapſi in cadavere didici. Homo quinquagenarius anomalâ Arthritide à 13. annis in calcem ad articulos converſus, & diriſſimis paroxyſmis ferè conſumptus; à triennio frequentibus paroxyſmis *Colicæ Pictonum* excruciatus; pus grave, copioſum à quatuor menſibus in omni urinâ deponens; lentâ demùm tabe in Noſocomio periit. In dilatatiſſimis Aortâ & Venâ cavâ, in peramplis arteriis veniſque Iliacis, arteriâ carotide, ac ſubclaviâ, in venâ jugulari, tenuem chordam polypoſam invenimus, cujus chordæ diameter in maximâ arteriâ vix ultra lineam, in magnâ venâ vix duas excederet lineas; quemadmodum etiam ſinus falciformis exhibebat. Hîc certè preſſio nulla, ſed vacuitas maxima ubique erat, cum polypo univerſo. Nec in capite preſſio ſanguinis fuerat, cum ibi nihil ferè ſanguinis in vaſis, Durâ Matre in ſiniſtro latere exceptâ; cumque etiam ventriculi anteriores cerebri ita vacui eſſent, licet magni, ut vix dragmam aquæ, ad

ignem minimè coagulabilis, educere potuerim.

Hinc vel à preſſione, vel à ſtagnatione polypus huic de quâ agimus puellæ, productus eſt. Cephalææ antiquæ cauſa venis fortè tribuenda varicoſis eſt: qualia exempla ut Cephalææ cauſas, Collectores caſuum nobis alibi demonſtrant.

Intelligimus porrò cur Apoplexia tam frequenter letalis ſit. Si compreſſio ab aquâ vel à ſanguine producta, cauſam proximam produxerit, opus eſt, ſi morbus curabitur, ut tum copioſum ſerum reſorbeatur, tum ſanguis effuſus fotu, ac veluti coctione, aptus reddatur, qui reſorberi poſſit. Sed ad talem reſorptionem coctionemque, certum quoddam tempus natura requirit. Si ſufficiens circulatio per minùs compreſſas partes interea temporis detur, ſi partes minùs preſſæ nimiâ humorum copiâ non obruantur, dum per compreſſiores tranſire vetantur, ſpes eſt ut homo vel ſeneſcat integrè, vel ſaltem necdum moriatur. Sin verò contrarium, ut pereat neceſſe eſt. Imò fortè reſorbetur materies, ſed eroſo de vaſe novus extillans liquor cauſam proximam redintegrat. Unde intelligitur cur nonnunquam per

paroxyſmos

paroxyſmos adoriatur, letalis demùm Apoplexia.

Si his jungamus cauſas Apoplexiæ proximas, aliunde natas, v. g. à Plethorâ, à ſerosâ Colluvie, à Contuſione, &c. patet evidenter revellentem dictam Methodum à magno *Boerhaavio* commendatam, unicum ferè id eſſe, quod in Apoplexiâ ejuſmodi prodeſſe poſſit: ſed ſimul ex contemplatione cauſarum proximarum nihil perniciosius Emeticis, (quæ utinam *Sydenhami* autoritate minùs fulcirentur!) in eâdem dari poſſe, vel inde concludimus, quòd vis humorum actione Emetici versùs caput aucta, cauſam morbi proximam augeat, ac ſæpè reddat inſuperabilem.

Sed hæc methodus ſi integra adplicetur, bonam ægri deglutitionem ſupponit, quod in Apoplecticis ſæpè fit; quo nempè ægri hæc revellentia affatim hauriant. Cum verò dentur, quibus omnis omninò deglutiendi ſit ablata facultas, ratio alia adparet cur ſors hominis inſuperabilis ſit. Eſt malum hoc ratione cauſæ, & ratione effectûs.

Tandem ea Apoplexiæ ſpecies, quæ oriunda ex defectu non quidem ſanguinis, ſed materiæ ultimò elaboratæ, unde ſubtilis ille liquor, ſpiritus dictus, pa-

randus; tum & illa, quæ à frigido glutinoſo ſanguine proficiſcitur; longiore tempore egent, quàm ut ſufficienter ſuis in cauſis emendari poſſint. Unde hæ ſpecies hominem è medio tollunt, antequam vel reſtituti ſpiritus, vel iners Pituita ſoluta, mobiliſque reddita fuerit.

§. II. Cur Apoplexia toties Paralyſin ſive ſequatur, ſive generet? Reſp. Paralyſeos, Epilepſiæ, Apoplexiæ, Lethargi, Cataphoræ, Convulſionis, aliorumque Cerebri morborum, cauſæ reperiuntur eædem. Quod ita intellectum velim, ut licet frequenter inveniantur diſtinctæ variorum horum morborum cauſæ proximæ, ſæpè tamen quoque confundantur: ita quidem ut ſerum abundans ventriculorum anteriorum cerebri, in uno Apoplexiam creaverit, in alio Epilepſiam, in tertio Paralyſin. Obſtructione, ſeu potiùs Symphyſi vaſorum, vehentium ſanguinem ab Encephalo in ſinum longitudinalem reducem, tumque ſpiſsâ lymphâ ſub Piâ Matre effusâ, vidi in jureconſulto diriſſimam ortam Epilepſiam chronicam, tandem acutam, letalem: quæ cauſæ tamen leguntur alibi inemendabilem induxiſſe Apoplexiam. Legite *Boerhavii Caput de Apoplexiâ*, cum *Ill. Præſidis*

*Comm.* Videte dein *Hildanum*, *Borellum*, *Tulpium*, *Schenckium*, *Bonetum*, *Mangetum*; quotiesne docti hi viri describunt eamdem inventam in cadaveribus causam, quæ hos diversissimos effectus produxerit?

Quod si ita se habet, consequitur id, ut concludamus eamdem causam, v. g. serosam ventriculorum Cerebri colluviem, ipsâ pressionis differentiâ, vi etiam compressionis in hanc, magis quàm in illam Cerebri Cerebellive plagam determinatæ, tum & majore aut minore resistentiâ compressæ partis ad vim pressionis, magnam varietatem habere in effectibus inde producendis.

2°. Comprehendimus quoque causam eamdem suis in effectibus mutabilem reddi, omninòque variam; tum pro effusi liquidi copiâ auctâ vel immiunitâ, tùm pro leviore aut graviore mutatione ac labefactatione partium compressarum, tum etiam varietate pressionis, viam sibi novam ad alias cerebri plagas molientis, tum denique variante hominis Regimine & Diætâ. Quibus ritè pensatis non est sanè, cur valdopere miremur, quòd à causâ, quæ nobis eadem esse videtur, diversos effectus; & quòd à diversissimis naturæ causis, eum-

dem planè contemplemur effectum.

3°. Intelligimus utcumque quamnam ob causam omnes hi morbi, humoribus geniti, etiam queant defectu oriri humorum. Dum enim ita collabitur Cerebrum, ut transeat nihil, est Apoplexia ab inopiâ humorum. Dum plagæ quædam collabuntur, his tamen vicinæ nonnullæ sat perviæ manent, ut excipiant, transmittantque, qui circulum continuet, humorem; minæ ad Apoplexiam, vel Paralyses, subsequentur plus minùs completæ. Denique dum uno momento vasa hæc tenera vi superstite sanguinis penetrantur, altero momento præ nimio collapsu penetrari nequeunt, Convulsiones subsequantur necesse est.

4°. Capitur quoque cur omnium horum morborum sive affinitas, sive disparitas, ritè inter se collatæ, ideam eorumdem Medicorum menti vividissimam imprimant: ita quidem, ut Apoplexia compressione nata universum Encephalum æquabiliter premat; deinde ut causa Paralysin generans nonnullas modò fibras premat, quorumdam nervorum futuras origines; tandem ut causa Epilepsiam aut Convulsionem efficiens, uno momento vi irruens, terribiles producat contractiones, altero

momento, repleto quasi nimiùm cerebro, vi repellatur : unde Epilepsia vera est veluti alternans Apoplexia, & nimius motus ; & cessante demùm illo motu, somnus Apoplecticus fit, quo morbus veluti coquitur, si paroxysmus est curabilis : sin minùs, in letalem abit Apoplexiam.

§. III. Ab his regulis sola Catalapsis abludit. Ut ejus legitima idea habeatur, omninò totus legendus, quem *Ill. Præses* refert ad §. 1086. Aph. *Boerh.* ex *Act. Reg. Scientiar. Parisiens. ann.* 1742. Primò enim describitur Catalepsis perfecta, cum omnibus suis stupendis apparitionibus. Id tamen hîc notandum, quòd in omnibus Cataleptici corum historiis, quivis diversi Observatores distinctum quid, alii præ aliis, notent, quodque hinc Catalepseos tam varia facies describi soleat ? quamvis fateamur in omni verâ Catalepsi ipsis descriptâ, illud Catalepticum, κατα-χρησικῶς ita dictum, certo morbi tempore in singulis adesse. Tum & mirè mutantur ipsi hi morbi. Cataleptica, de quâ textu citato, elapso aliquo tempore simul fiebat Somnambula : deinde in eo etiam mutabatur morbus, quòd deinceps multa garriret, inordinatè lo-

queretur, cantaret, rideret, & poſt deambulationes peractas iterùm lectum peteret, tegeret corpus ſtragulis, Cataleptica fieret, & poſt ¼ horæ Catalepſeos Paroxyſmum totum abſolveret. Ut meliùs autem capiatur quî morbus ſe habeat, en quæ viderim!

Puella 12. annorum frigida, mucoſa tota, Catalepſi bis ter nucthemeri ſpatio repetente corripitur; idque integro fermè menſis ſpatio. Catalepſis, quâcumque corporis poſitione eam prehenderet, jacentem, ſtantem, incedentem, in manducatione cibos potuſve ad os ducentem, ſemper illam in eâdem poſitione ſervabat; niſi fortè quis alius mutaret. Vix per octiduum hic fuerat morbi ſtatus, quin ingentem ſubiret mutationem. Quæ enim taciturna olim in Paroxyſmis, jam fit garrula, tantâque cum rapiditate loquax, ut ſana nunquam tam præcipitanter loqueretur; ſed diſtinctè tamen, & ad rem. In pluribus Paroxyſmis præſens audivi eam *Pſalmos Davidicos* cantantem ritu Proteſtantium, quorum fide â teneris imbuta erat. Cantus autem ille notas muſicas exactè obſervabat, ut aſſeverabant adſtantes. Tum audivi recitantem *Catechiſmum*, quem tenuerat memoriter, unà cum plurimis

textibus ex *Sacris Bibliis*, ad quæstionem *Catechismi* quamlibet adpositis. Cum ad textus hos Librum adjungeret sacri Authoris, & Caput & Versiculum; illicò ego in *Catechismo* id examinans, ad litteram omnia prolata esse stupebam. Sed neque hîc finis. In vitia hominum acriter inferebatur, & occasione textuum laudatorum invehebatur in Adulteros & Impudicos homines, præprimis autem in hominem viduum in viciniâ habitantem, quòd pellicem domi aleret; qui tamen ipse, Paroxysmum visurus advolaverat, atque ita præsens præsentem audiebat has diras imprecationes in sese proferentem, quamquam ipse nullatenùs puellæ sub conspectum caderet. Sæpiùs contigit, ut tum familia, tum ego maximè, quid doli subesse suspicati, varia, explorandi gratiâ, tentaverimus; sed nihil simile. Nunc unguibus teneram cutim ita vellicabam, ut multis post diebus impressa vestigia gereret; nunc lumen ipsis ferè pupillis admovi, visurus an se contraherent; aciculâ varias corporis plagas pupugi, ita ut sanguis inde exsiliret: verùm omnia incassum. Interim per totum Paroxysmi tempus quotiescumque ego brachium, crus, manum, digitum, caput,

ſitu mutabam, perfectè ſic, ut poſueram manſit; idque tam longo temporis ſpatio, quo ego ſanus, partes extenſas eodem in ſitu neutiquam ſervarem. Perfectè curata eſt iis, quæ mucoſam ac flaccidam temperiem emendarent.

In hoc igitur morbo τὶ ἄγνωστον adeſt. Ab unâ parte commercium corpus intermentemque deletum adparebat, quòd Nervi ſentientes nullatenùs viderentur affici; ab alterâ parte commercium id non deletum adparebat, quòd ſapienter ratiocinata, & memoriter multa aptiſſimè recitans, organa vocis, (& quotuplicia hæc!) expeditiſſimè moderaret. Sed eſt præterea aliud adhuc notandum hîc. Nervi ad motum deſtinati ſe non ita habent, atque in Paralyticis, quando commercium Nervi cum Senſorio communi interceptum eſt. In Paralyſi enim affecta pars mox flacceſcit, fitque immobilis, atque haud rarò etiam inſenſilis: in Catalepſi verò corpus manet ut antea, ſedentis, gradientis, ſtantis, comedentis, bibentis figurâ. Haud ergo Paralyſis eſt, ſed etiam non eſt motus. Quid ergo eſt? Eſt continuatio ejus, quod ultimo ſanitatis momento ad motum bonum requiſitum aderat: id nempe in eâ, quæ olim movebatur, ſe ſuſ-

tiner parte. Imò ſi adſtantium quis ſitum hunc permutaverit, & in alium direxerit, ut jam cogat alios prorsùm muſculos ut agant, eſt ferè idem, ac ſi ſenſorium commune novis his muſculis novas vires largiretur, ad hunc ſitum, idque pertinaciſſimè conſervandum.

Porrò quod in corpore obſervamus, idem de mente cogitemus. Quoties enim obſervatum non eſt ideam ultimam verbis expreſſam, ante Paroxyſmum, ita eamdem manere, ita eſſe immutabilem, ut denuò prima ſit, quam homo habeat, verbiſque enuntiet, Catalepſi, quantumvis diuturnâ, ſolutâ. Ut profectò, quemadmodum muſculi, ſi ab aliis non mutentur, ita ſoluto Paroxyſmo ſe habent, quàm immediatè ante illum habebant; ita quoque maneat impreſſio idearum, & conſequens inde ratiocinium. Igitur totum illud intermedium tempus inſciâ, ut videtur, mente tranſigitur; ita ut cogitationes mentis, loquela eas enuntians, novus ab adſtante homine muſculis conciliatus motus, à mente non videantur adverti, à memoriâ non notari. Intermedium illud ſpatium tam perfectè de vitâ humanâ abſcinditur, ut prima poſt Paroxyſmum idea, pri-

musque motus, eo modo cohæreant cum prioribus ultimis, ac si integrum quid, & nunquam interruptum componerent.

Somnambuli quid simile habentes, in nonnullis iterùm differunt. His corporis cum animâ commercium silet, sed non inter animam & gradatorios musculos. Imò cum quidam studiosè evitent mensas, sedes, obstacula, in viâ posita, idque in tenebris, videntur tactu valere, & mentis commercio eo usque uti, ut ad latus declinantes evitent obstacula.

Substitit hîc examen physiologicum: haud enim datum est nobis miri animi nostri cum corpore commercii capere leges. Ignoramus prorsùm eas, quarum ope commercium hoc peragatur, partes; ignoramus quâ se lege & tangant & moveant & iterùm sistant. In genere novimus necessariam musculi suis cum vasis integritatem; boni nervi toto itinere suo aptitudinem; integrum, quem pro sensorio communi habemus, locum: verùm plures in sententias scissi, mutuam harum omnium harmoniam, agendique facultatem, minimè capimus. Nervorum cavitatem, fluidi per eam transfluentis præsentiam, scholæ

crepant; ſed alterutrum exiſtere nullus mortalium, optimis licet armatus microſcopiis unquam demonſtrare potuit: etiam videntur actiones muſculoſæ in corpore exiſtere, quibus communi lege explicandis haud ſufficimus. Unde ad hæc omnia ſapienter Eminentiſſimus *De Polignac, Anti-Lucretii ſui pag.* 158.

Nos verò plerumque latet quænam organa motûs
In nobis vigeant; & quâ ſint arte regenda:
Nec reſcire juvat: ſatis eſt nam velle moveri,
Quilibet ut ſeſe moveat, rudis atque peritus.

*& pag.* 187.

Scilicet ignorat mihi mens, ſibi credita qualis
Machina ſit; quantâ momentorum arte regatur;
Quàm variè compacta, & miro condita textu.
Attamen impellit cum vult, agitatque movendo
Compagem; ac ſubitò flectit, prout imperat, artus.
Quod moveat, planum eſt cauſam prodire movendi
Mentis ab imperio: verum id, quod neſcia præſtet,
(Neſcia non motûs, quem præcepit ipſa, ſed Artis,
Quâ fit, & elicitur, liquidò demonſtrat adeſſe
Cauſam, quæ regit effectrix &c.

*& pag.* 358.

Denique nec per ſe Mens ullo corpore tangi,
Nec quocumque modo connexum impellere corpus
Noſtra poteſt. Unde eſt igitur, quòd mutua ſeſe
Commoveant? Certiſque in corpore motibus ortis,
Notities menti adveniat, tum certa cupido?
Atque ex notitiâ, certâque cupidine mentis,

Quidam enaſcantur motus, & corpore gliſcant?
Naturas adeò duplices quæ fibula nectit?
Quidquid enim nectit partes, ad utramque neceſſe eſt
Pertineat: Sic vitta manus, ſic lora jugales,
Vincula ſic ulmo vitem, ſic ſtamina pannos:
At vinculum ſi corpus erit, quî prendere Mentem?
Et ſi incorporeum, quî prendere membra valebit?
Ergo INFINITI conjunxit ſola VOLUNTAS.

§. IV. Sed antequam hanc materiem miſſam faciam, quæſtionem circa Nervos gravem movere neceſſe eſt. Cur nempe vitia pag. 136. in ſiniſtro cerebri hemiſphærio ſartoris, ut cauſæ Paralyſeos dextri lateris aſſignentur?

Eſt profectò antiquiſſima *Hippocratis* obſervatio, ab aliis deinceps, præcipuè ab *Hildano* confirmata, quòd læſo preſſove uno cerebri hemiſphærio, oppoſitum corporis latus paralyticum fiat. Frequentiſſimæ ejuſmodi obſervationes effecêre, ut jam ante 60. annos egregius *Poupartius* in *Act. Acad. Reg. Sc. Par.* ſtatueret medullares fibras ſe decuſſare; ita ut cranio egreſſæ, oppoſitas peterent corporis plagas. Ita quoque *Petitus* in ſcripto dicto, *Lettres d'un Médecin*; *Valſalva*, aliique: ſed inſtar omnium magnus *Venetorum* Anatomicus *Sanctorini Obſ. an. cap. 3. §. 12. pag. 61. edit. Leyd.* qui apta ad cerebra nactus, tribu-

potissimùm in locis hanc Decussationem demonstrare solebat : scilicet in priore & in posteriore protuberantiæ annularis crepidine, atque maximè in imo Caudicis medullaris, quà in spinalem abit. Vide etiam *Hist. Acad. Reg. Sc. Par. an.* 1742. *pag.* 53. *in* 8. Siccius cerebrum hisce diebus nactus, idem observasse mihi videor.

Sanè si morbi cerebri læsi oppositam corporis plagam perpetuâ lege afficerent, omnia quæ ad hanc quæstionem spectent, expositâ decussatione jam explicuissemus : verùm ita res non est; unde multæ difficultates hinc exsurgunt.

1. Apud Collectores casuum sæpiùs jam memoratos, historias reperimus innumeras, vitiosi v. g. cerebri dextri, cum Paralysi lateris corporis sinistri, & cum Convulsione dextri.

2. Cum Paralysi ejusdem lateris, Convulsione oppositi.

3. Cum Paralysi lateris ejusdem, sine ullius partis Convulsione.

4. Cum Convulsione ejusdem lateris, sine ullâ ullibi Paralysi, ut puella *pag.* 172.

5. Cum Paralysi & Convulsione ejusdem lateris.

6. Cum Convulsione universali, &

Paralyſi dextri lateris, ubi tamen cauſa videbatur cerebrum integrum occupare.

Hâc occaſione nuperam addam anatomen. In pueri, cujus hiſtoria pag. 128. habetur, cadavere, Pia Mater univerſa varicoſa, vix ullibi cum ſubjecto cerebro tam in ſuperficie, quàm intra ejuſdem gyros, cohærens, Lympham pellucidam, gelatinoſam ſupra ſe gerebat. Hæc porrò omnia in utroque Cerebri Hemiſphærio ex æquo obtinebant. Ventriculus quidem dexter ſuperior Lymphæ, ad ignem non concreſcentis unciam continebat; verùm incerti ſumus, an contrectatio & compreſſio alterius hemiſphærii nondum perciſſi, aquam ex ſiniſtro ventriculo in dextrum, quem examinabamus, non duxerit. Flatus enim in unum ventriculum immiſſus, in alterum ſæpè tranſit; ita ut quo loco ſeſe ambo contingunt, in medio nempe, & iterùm ante thalamos Opticorum, mutuò ſecum communicare videantur. Imò hâc occaſione ablatâ reſiſtentiâ in ventriculo, quem examinamus, pondus relicti ſupra alterum ventriculum Cerebri, poteſt ſubjectum ventriculum comprimere, premente Anatomici manu adjuvante, ſic-

que ſubjectum ventriculum evacuare, dum Lympha vel ros, utrumque ventriculum explens, ultra non æquilibratur. Si quiſquam hîc fortè regerat tunc nunquam poſſe de copiâ Lymphæ, unum ventriculum præ alio explente, judicium formari, & ad morbi referri cauſas. Huic reſpondeo: caſus manifeſtos dari, qui juſtum relinquant poſt ſeſe, certumque judicium. Quippe ad caſum pag. 171. vidimus ventriculum hydropicum duplo triplo ampliorem ſuo compare redditum fuiſſe: unde certè nulla ibidem adfuiſſe communicatio videtur, & ratiocinium de hydropico hoc ventriculo juſtum eſt. Deinde ſi Lympha tenax valde, etiam communicatio ventriculorum obtinere non videtur. Hinc caſus exiſtunt unde nihil, caſus unde multùm concludi licet.

Puer porrò hicce pridie ante mortem Convulſiones univerſales habuit, & perfectam Paralyſin totius dextri lateris. Si nunc in eodem dicamus ventriculum dextrum præprimis hydropicum fuiſſe, ſuique lateris preſſiſſe cerebrum, tunc Paralyſin offendimus in eodem affecto latere: ſi verò negamus hoc inde poſſe concludi, probatur ſaltem id, quod mox ad n. 6. dixeram.

Ex omnibus autem hucuſque dictis

concluditur dari quidem, quæ ſeſe decuſſent, fibras; hujuſque decuſſationis effectu oppoſiti lateris morbos exponi: haud tamen omnes ſe decuſſare; ſed eſſe quæ ſe minimè decuſſent, adeòque proprii lateris nervos formare videantur: unde tunc ſimul phænomena, quæ eodem in latere contingunt, explicata habentur. Sed ex omnibus his minimè explicamus cur cauſa, eadem nobis viſa, potiùs Convulſionem quàm Paralyſin excitet; aut vice versâ? vel cur à causâ iterum eâdem in uno homine oppoſitum latus Paralyſi, latus affectum Convulſione prehendatur, aut iterum in alio præcisè contrario modo?

Obiter monitos lectores volo me jam pluries deprehendiſſe, quod Lympha ventriculorum Cerebri ad ignem non coaguletur, ut jam quatuor experimentis patuit. Confirmant hæc *Boerhaavii* ſententiam de Lymphâ Cerebri id jam olim ſtatuentis; ad quam ſententiam corroborandam laudare ſolebat totam octavam propoſitionem *L. Bellini* de motu cordis; qui & ſuis & clari *Lambechari* experimentis id evicerat. Attamen egregius *Hallerus ad* §. 274. *Inſt. Boerh.* Lympham hanc concreſcibilem ſtatuit, inter alia etiam *Fracaſſati*, cujus de Cerebro Tractatus inter *Mal-*

*pighiana* habetur, autoritate fretus. Reſpondere tamen poſſumus *Fracaſſatum* de Morboſis agere, *Bellini* verò & *Boerhaave* vel de ſanis, vel de hâc ſaltem parte non morboſis. Experimenta ſaltem mea idem quod *Boerhaave*, idem quod *Bellini*, evincunt, clamant.

## CAPUT VI.

### De Sanguine et Calore Humano.

§. I. *Regulæ, ponentis in acutis morbis venæ ſectionem poſt 4. diem licitam non eſſe, ſanguinemque in acutis malignis diſſolvi, incertitudo ac fallacia experimentis demonſtrantur.* §. II. *Ad problema, utrùm oporteat fœminæ Menſtrua aut Lochia habenti venam tundere, necne? ratiocinio, experientiâ & authoritate reſpondetur.* §. III. *Arterioſus ſanguis nec colore mutatur ut venoſus, nec ſuum ita à ſeſe ſerum dimittit.* §. IV. *Conſtanti lege Syrupus Violarum virideſcit à ſero ſanguinis recentiſſimo, ab ovi recentiſſimi albumine: ita ut alcali preſentia hoc ſolo experimento non notetur.* §. V. *Calor non à ſolo attritu.* §. VI. *Defectus eſt in Methodo menſurandi calorem humanum, quòd tempus ther-*

*mometron adplicandi non definiatur: probatur experimentis quibus simul evincitur latitudinem caloris in sanis hominibus esse inter 94. & 98. gradum.*

§. VII. *Sententia communis de differentiâ caloris inter homines adultos vegetosque, pueros ac senes, multiplici experimento exploditur.*

§. I. SANGUIS acutis in morbis inflammatoriisque, vulgò scribitur phlogisticam suam naturam deponere post horum morborum diem quartum: in malignis verò dictis morbis loco vis Plasticæ ac Phlogisticæ dissolutionem præ sese ferre. Quam opinionem refellere, ut *Rat. Med. Part. 3. cap. 1. de morb. malign.* conatus sum, ita novo luculentoque, refellam experimento.

Juvencula in febre continuâ putridâ, neglecta prorsùm, nullam omninò artis opem experta, die undecimo morbi ad nos defertur, toto pectore, colloque anteriore, plurimis Petechiis scatens: morbo, ut illa retulit, quotidie aucto; nullamque, ut nos judicare debuimus, sui coctionem præbente. Sanguis ipsi tunc missus, in vasculo primo & tertio crustâ phlogisticâ tectus erat, universâque in rubrâ parte compactissimus. Duo-

decimo morbi die repetita venæ ſectio, cruſtam dedit heſternâ denſiorem. Ergo nec 12. dierum diuturnitate, nec centenarum Petechiarum eruptione, ſanguis inflammatoriam ſuam ſpiſſitudinem, ſivè cruditatem amiſerat. Unde nemo miretur venæ ſectionem, eamdemque iteratam, provecto adeò morbo, inſtitutam eſſe. Ut enim *Rat. Med. Part.* 1. *cap.* 4. *pag.* 41. *Hippocratis*, in Pleuritide *Anaxionis*, exemplo, & experientiâ medicâ evici, Cruditas morborum non tempore duntaxat, ſed conditione, cognoſcitur : id quod Auditores mei centies in Noſocomio obſervaverunt. Quam ob cauſam varii textus *Boerhaviani*, poſt quartum diem ſanguinem mittere vetantes, ad mentem tum *Boerhaavii*; tum *Hippocratis*, intelligendi ſunt : tunc nempe venam tundere poſt 4. diem haud oportere, quando ſtadium inflammatorium circa id tempus, ut ſæpiùs fit, mutatur; cæterum verò tundere oportere.

§. II. Problemata ſæpiùs coram Auditoribus agitavi, num nimirùm ſeu Catameniis ſeu Lochiis bene fluentibus, liceret venam ſecare, ſi interea temporis ejuſmodi morbus orietur, quem alioqui, ſi alio tempore contigiſſet, ve-

næ pertusione confodere debuissemus? Contrarias in sententias Medici abeunt; aliis id præfractè negantibus, aliis verò in summâ necessitate, cum prudentiâ ac parsimoniâ id concedentibus. Bonam Problematis solutionem experimenta sola dare poterant.

Hinc primò conabar quantitatem sanguinis, quibus linteamina commaculantur, satis certò æstimare. Eo scopo in sanguine, determinatâ præcisè copiâ misso, & adhuc calente, Linteamina submersi, magnitudinem oriundarum inde macularum examinaturus, notaturus. Iteratis hisce experimentis eò devenimus, ut sanguinis linteaminibus excepti quantitatem, quovis deposito pretio, exactè calcularemus. Et quia Plebeïæ, tempore Mensium Lochiorumve, mutatoriis carentes, unico linteamine toto tempore utuntur; quod, quia nunc multùm, nunc parùm, & iterum sæpiùs, postquam, silente per horas fluxu, siccatum est, dein eodem redeunte, plurimum in siccatis imbibit locis; eâdem arte in tingendis linteaminibus nostris usi sumus. Justi ergo existimatores sic facti, linteamina, tum Menstruantium variarum, tum Puerperarum, exactè conservavimus, ut de-

mùm quantum ſingulæ toto illo temporis ſpatio evacuarent, juſtè determinaremus.

Sic didicimus nonnullas fœminas menſtruo tempore tres uncias ſanguinis demittere, alias quatuor, quinque; pauciores eſſe, quæ ſemilibram; raras admodum quæ uncias decem evacuarent, niſi uteri quopiam defectu laborarent. Quantum autem ad Puerperas; ſi prolem mox lactarent, his deprehendimus Lochia paſſim parciora cæteris eſſe, adeòque Libram nonnullas, alias ſeſquilibram, evacuare. Caſus fuêre Abortuum, in quibus mihi jurarent Obſtetrices plus 8. 10. Libris evacuatum fuiſſe, cum tamen totum ſordidarum mapparum acervum examinans, vix ſeſquilibram evacuatam eſſe exiſtimare debuerim. Cui hæc creditu difficilia videntur, hunc de veritate dictorum iterata experimenta convincere poterunt.

Si itaque Menſtruantes 3. 5. 6. 8. uncias evacuant cruoris, eodemque tempore morbo occupantur, cui ſedando vix quatuor Libræ ſufficerent, nonne evidentiſſimum eſt venæ ſectionibus jam parcendum non eſſe? An circa Puerperas acutè laborantes non idem concludendum? Eoque magis, quo citiore

Revulsione requisitâ, fluxus ordinarius passim non nisi guttatim prodeat?

Jure ergo meritissimo Ill. Baro *van Swieten Tom. 3. Comm. C. de Pleur. pag. 38. Sydenhami, Tulpii, La Motte,* exempla laudans, simul vituperat omnem in mittendo sanguine, dum casus urget, parsimoniam. Laudatus ibidem *La Motte Lib. 2. pag.* 224. pronuntiare ausus est venæ sectiones iteratas in Puerperâ unius diei, unicum fuisse, quo servari potuisset, auxilium. « Licet » enim, inquit, Lochia abundè fluerent, multumque Natura ageret ipsa, » haud sufficienter tamen agere videbatur; cum sine iteratis venæ sectio» nibus, brevi suffocata fuisset ». Et quid ita? Morbus ejusmodi erat, ut duplo copiosiorem sanguinis evacuationem paucarum horarum spatio posceret, quàm Uterus sponte suâ integro stillasset octiduo. Addit idem *La Motte* plures similes Puerperarum historias, quas inter notanda cujusquam Puerperæ, continuante debito Lochiorum fluxu Pleuriticæ, cui novem venæ sectionibus succurrere debuerit. Fæminarum quidem Temperies, Idiosyncrasia, ætas, anni tempus, Regionum varietas, mutare utcumque, quem dedi, Calculum

poſſunt; ipſam tamen rem ſic ſe habere, conſtanter evincent.

Hinc didicêre Medicinæ ſtudioſi in Noſocomio Venæ ſectiones in his caſibus nunquam reformidare, ſi aliàs indicarentur: ita verò eas eſſe inſtituendas, ut ſi nihil referret, quâ venâ ſanguis efflueret, is ſemper quo naturalis uteri evacuatio minùs turbaretur, ex pede duceretur: ſin verò Morbus ipſe per ſe eum brachio educi poſtularet, ut v. g. in eâ Pleuritide, quæ ab arteriarum intercoſtalium Aortâ dictâ deſcendente oriundarum, inflammatione proficiſceretur, audacter is feliciterque ex brachio mitteretur.

§. III. Indoles arterioſi ſanguinis quàm ab eâ venoſi differat! Toties repetitum experimentum docuit naribus profluum cum impetu ſanguinem colore vix mutari, dum conſervatur, niſi demùm quando putret. Lætè rubicundus ipſi color eſt, & in ſuperficie aëri contiguâ, & in aversâ, & omni denique parte, quotuplici ſectione eamdem diviſeris. Demonſtrant utique hæc juſtam Refutationem eſſe variarum ſententiarum, quæ & neceſſariam ſtatuerent Coloris mutationem, & mutationis ejuſdem rationem exponere ſatagerent, in *Part.* 1.

*Rat. Med. cap. 6. pag.* 64. Alio modo etiam differre à venoſo ſanguine Arterioſum, ex eo collegimus, quod vix ſerum à ſeſe ſeparare ſoleat, diù licet aſſervatus; perfectiorem intimioremque omnium miſcelam hinc demonſtrans. Plura horum experimentorum ibidem communicatorum, ſæpiùs repetita, ſemper eoſdem, quàm citato loco enarravi, produxêre effectus.

§. IV. An notaverit quiſquam quòd ſerum ſanguinis, recentis, tum optimum, flaveſcenſque, tum etiam non flavum, ut quorumdam hominum eſt, venæ ſectione eductum, Syrupo violarum viridem colorem conſtanter impertiat? Eſt tamen Obſervatio, me nunquam hucuſque fallens. Communi ſententiâ Alcali hæc nota eſſet: tamen hoc ipſum ſerum cum aceto miſtum nullam gerit Alcali notam. Imo Albumen ovi, quod in multis (non in omnibus, ut *Rat. Med. Part.* 1. *cap.* 6. *pag.* 56. evici) ſero ſanguinis ſimile eſt, hoc inquam, de recentiſſimo ovo ſumtum, æruginis ferè colorem huic Syrupo conciliat. Novi quidem in ovi albumine quid ineſſe, quod vas argenteum in quo aliquanriſper conſervatur, fœdâ tingat aurigine; ſed nonniſi coctum id præſtat;

tat; recens, nec igne mutatum, minimè. Plus decies ſimilia experimenta variis in ſubjectis iteravi, quo demum intelligerem, utrùm ſerum Hydropicorum, ſi ſyrupum ita tingeret, nec cum acidis tamen efferveſceret, alcalinum, necne, appellitarem. Certè perperam videmur hucuſque alcali præſens hâc notâ ſtatuiſſe.

§. V. Quæ variis in locis *Part.* 1. 2. 3. de vario caloris gradu, morbo ingraveſcente, miteſcente, finiente, protuli, horna mea experimenta confirmarunt; quorum en pauca!

Mulier exulcerato Mammæ cancro miſera, colore livida, omninò emaciata, pulſum parvum habens, totâ die ſedens, iterato quater ſpatio menſis experimento, conſtanter inventa eſt gradus tres quatuorve majoris, quàm ſano in homine eſt, caloris notare.

Sed, mirum dictu! omnium maximus calor inventus eſt hominis, quo tempore cum morte luctatur, expirat, jamque aliquantùm vivere deſinit. Ita quidem, ut deprehenderimus in ægro, cujus calor per totum acutum morbum ſupra 103. gradum non adſcenderat, ſub mortem, perque bina à morte minuta, notari gradum caloris 106.

Vir 50. annorum, de quo pag. 147. ſermo erat, lentiſſimo igitur morbo enectus, notabat, 9. horis ante mortem adplicato thermometro per 8. minuta, 97. gradus caloris; per 15. minuta 100. hicque fuerat in longiſſimo morbo conſuetus explorati caloris gradus. Quo momento animam efflabat 97. gradus, idque per $7\frac{1}{2}$. minuta. Deinde per 4. minuta 101. Poſthac omni quarto minuto thermometrum vigeſies examinatum, id eſt per horam & 20. minuta, ſemper grad. 101. Dein quovis quarto minuto examinatum, 100. gradus: omni quarto minuto quater, 99. gradus: omni quarto minuto ter, gradus 98. omni quarto minuto quater, gradus 97. omni quarto minuto ſepties 96. & 15. à morte horis necdum infra 85. gradum thermometron deſcenderat, licet aër domeſticus eo tempore vix 60. gradum notaret.

Quæritur nunc an Theoria caloris, ut ſolo attritu geniti, ſatis fundata ſit? An verò in corpore animali cauſæ aliæ, præter attritum, neceſſariò exiſtant genetrices caloris? Veteres ſaltem cauſam nativi dicti caloris diverſam credidêre ab eâ, quæ febrile incendium faceret. Ita *Galenus in Aph.* 14. *Sect.* 1. ait:

» Alioquin febricantes diceremus plu-
» rimum habere nativum calorem;
» qui nedum plus, ſed nec priori æqua-
» lem habent. Εὔκρατος μεν ἐστιν ἡ ουσίᾳ
» τοῦ ἐμφύτου θερμοῦ, πυρώδης δὲ ἡ τοῦ ἐπικ-
» τήτου. Probè namque temperata eſt
» caloris nativi ſubſtantia, ignea au-
» tem ſubſtantia eſt caloris adventitii.

§. VI. *Rat. Med. Part.* 2. *cap.* 10. *pag.* 196. & *ſeq.* in caloris gradu, tam in ægris, quàm in ſanis, definiendo, conqueſtus ſum juſtum tempus adplicationis Thermometri ab autoribus non determinari, cum pro tempore adplicationis multa ejus differentia eſſet. Plurima recentiora experimenta legitimas has querelas demonſtrant. In ſano homine thermometron ſpatio $\frac{1}{8}$. horæ notans 96. gradus, facilè per horam ad 100. imò ad 102. adſcendit: quantâcumque verò temporis diuturnitate tunc adplicatur, non adſcendit ultra. Centies iteratum experimentum, toties idem confirmavit. Haud tamen ita ſemper adſcendit. Unde cum obſervatio variet, en quid pro certo communico. Continuit nonnunquam ut ultra gradum caloris illum, qui ſpatio horæ quadrantis notabatur, thermometrum non petat altiùs; nonnunquam ut ſupra eum gradum

haud adſcendat, qui ſpatio dimidiæ indicabatur horæ; ſæpiùs non ſupra gradum intra tres horæ quadrantes indicatum; frequenter tamen ad horam integram creſcat. Ut ex omnibus hiſce hæc ſit certa concluſio, qui gradum caloris in dato homine juſtè determinare geſtit, eum horæ integræ ſpatio thermometrum adplicare debere. Quod ſi Medicus aliunde occupatior ſuo tempore eget, eum rarò fallendum, falliturumque, ſi per $\frac{1}{4}$. horæ adplicans, unum alterumve gradum notatis gradibus adjecerit: licet enim nonnunquam ultra quadrantis ſpatium non adſcendat, licet etiam poſt quadrantis horæ adplicationem thermometron pluſquam duos gradus ante horam elapſam adſcenderit, tamen reſpectu communicatæ obſervationis adeò hæ exceptiones ſunt rariores, ut qui ad gradus, ſpatio quadrantis horæ notatos, unum alterumve adjecerit, rariſſimè fallatur.

Sed & hoc addendum eſt. In multis ſanis vegetiſque hominibus; quietis, leviter motis; jejunis, leviterque paſtis; exploravi num ſemper calor naturalis 95. 96. graduum foret; ſed deprehendi qui conſtanti lege 97. rariores, qui 98. rariſſimos qui 99. ſemper notarent.

Quod ideò notatu dignum judico, ne qui ſint, qui ex ſolo thermometro hominem febricitare pronuntient, qui fortè naturaliter modò calet.

§. VII. Quæritur quid cenſendum ſit de ſententiâ *Hippocratis Aph.* 14. *Sect.* 1.

» Quæ creſcunt plurimum habent calidi
» innati : plurimo igitur egent ali-
» mento ; ſin minus, corpus conſumi-
» tur. Senibus autem paucus calor ;
» propterea paucis fomitibus indigent :
» à multis enim extinguitur. Idcirco
» etiam febres ſenibus non ſimiliter
» acutæ. Frigidum enim eſt corpus. »

Forſitan *Hippocrates* hîc tantùm de Calido innato ventriculi, & neutiquam de calore univerſi corporis, in variis hominum ætatibus egit ; & Aphoriſmus hunc proximè ſequens, ut eum rem ita intellexiſſe credamus, nos utcumque inducit. Tamen cum ipſum *Senum Corpus*, non ſenum ventriculum, *frigidum eſſe* affirmet, videretur in hoc Aphoriſmo univerſi corporis calorem intueri. Quemadmodum quoque hunc ipſi ſenſum *Galenus* in longo hujus Aph. Commentario, & præcipuè in Libro adverſus *Lycum*, tribuit ; qui & ipſe ejuſdem cum *Hippocrate* ſententiæ ſe eſſe manifeſtò ibidem declarat. Ve-

rùm necdum ideò hos veteres autores, ita de calore variæ ætatis diſſerentes, erroris incuſare licet; cum quo id ſenſu intelligerent, addiderint. Si enim totum *Galenum* in Libris ſuis de Temperamentis patienter evolvimus, inveniemus demum eum ingenuè fatentem Libr. 2. cap. 2. apud *Charterium* Tom. 3. pag. 60. « Et quid opus eſt in tam » diſſimilibus Exemplum proponam? » Cum ipſe aër, *qui ſimili ſit calore*, » variè tangenti occurrat, prout aliàs » veluti caliginoſus & halituoſus, aliàs » veluti fumoſus & fuliginoſus, interdum purus omninò eſt. Igitur in pluribus, iiſdemque differentibus, æqualitas caloris conſiſtit: *quæ inconſideratis, quaſi inæqualis ſit, imponit*; propterea ſcilicet, quòd non undequaque ſimilis adparet. Cæterum homo, qui rationes, quas propoſui, expenderit, & ſenſum in multâ particularium experientiâ exercuerit, is nimirum *æqualitatem caloris in pueris florentibuſque inveniet*: nec eo falletur quòd alter in humidâ, alter in ſiccâ ſubſtantiâ repræſentetur: quippe lapis aliquando pari cum aquâ calore eſſe poteſt, nullum eo faciente diſcrimen quod

» lapis ſiccus ſit, aqua humida. Ita igi-
» tur mihi, cum pueros, juvenes, ado-
» leſcentes millies conſideraſſem; præ-
» terea eumdem, infantem, puerum,
» adoleſcentemque factum; nihilo ca-
» lidior viſus eſt nec puer, quàm ætate
» florens, nec ætate florens, quàm puer:
» ſed tantùm, quemadmodum dixi, in
» pueris magis halituoſus, & multus,
» & ſuavis; in florentibus exiguus, ſic-
» cus, nec ſimiliter ſuavis eſſe caloris
» occurſus.... *Itaque neuter eorum ſim-*
» *pliciter videtur altero calidor*; ſed al-
» ter, multitudine ejus, quod difflatur,
» alter acrimoniâ.

Qui poſtremis hiſce temporibus de de ſanguine ac calore humano ſcripsêre, unanimiter ſtatuunt in mediâ ætate calorem eſſe maximum, eo quòd vaſa robuſtiſſima illis ſint, denſique ac compacti ſalubriter humores: ſenilem verò ætatem, quòd vaſa morbosè rigida, glutinoſaque liquida habet; tum & puerilem, quæ vaſis copioſis ſed flaccidis, humoribus verò aquoſioribus componitur, calore minore gaudere. Affirmant & doctrinâ mechanici attritûs, & experientiâ thermometrorum, evidentiſſimam hanc Theſin eſſe, meritòque ſe

huic totam ſuam de ſanguine Theoriam ſuperſtruere.

Statu quæſtionis utrimque propoſito, liceat, pro omni reſponſo experimenta noſtra enarrare, quæ hâc intentione inſtitui in Noſocomio *Civico*, quod cum Orphanotrophium, Gerontrophium, ac Ptochotrophium ſimul ſit, ob idque 1400. homines alere ſoleat, aptam mihi præbebat experiundi occaſionem. Experimenta omnia capta ſunt jacentibus, & bene tectis circa thermometrum hominibus. Et ne quandoque Thermometrum à Thermometro tantillùm differret, unicum modò adhibitum eſt, eâ lege, ut poſt ſingulam adplicationem calorem deponeret, antequam denuò adplicaretur; licet fortè cura hæc ſuperflua fuerit. Omnes ſani erant.

Primo ſumſimus Infantes.

2 *Dier. per* $\frac{1}{8}$ *hor.* 94. *Grad. per* $\frac{1}{4}$ *hor.* 96
3 — — — 95. — — — 97
3 — — — 97. — — — 99
4 — — — 97. — — — 99
3 — — — 97. — — — 97
5 — — — 96. — — — 98
7 — — — 97. — — — 99
7 — — — 97. — — — 99

10 — — — 96. — — — 99
21 — — — 95. — — — 97
22 — — — 97. — — — 100
28 — — — 96. — — — 98

## Ab Infantibus devenimus ad Pueros.

$4\frac{1}{2}$ *Ann. per* $\frac{1}{8}$ *hor.* 96. *Grad. per.* $\frac{1}{4}$ *hor.* 98

5 — — — 95. — — — 98
$5\frac{1}{2}$ — — — 94. — — — 97
$5\frac{1}{2}$ — — — 94. — — — 97
$5\frac{3}{4}$ — — — 96. — — — 98
$5\frac{3}{4}$ — — — 96. — — — 98
6 — — — 95. — — — 97
$6\frac{1}{4}$ — — — 94. — — — 97
$6\frac{1}{2}$ — — — 95. — — — 97
7 — — — 95. — — — 98
$7\frac{1}{2}$ — — — 96. — — — 99
$7\frac{1}{2}$ — — — 95. — — — 98
$7\frac{1}{2}$ — — — 97. — — — 99
9 — — — 96. — — — 99
9 — — — 95. — — — 97
10 — — — 96. — — — 98

Aetatem mediam sive adultam opus non erat examinare, cum infinita experimenta calorem dudum determinassent ad grad. 95. 96. 97. 98. Sed senes jam erant præprimis examinandi.

66 *Ann. per* $\frac{1}{8}$ *hor.* 97. *Grad. per* $\frac{1}{4}$ *hor.* 99

64 — — — 96. — — — 99
69 — — — 95. — — — 97
70 — — — 95. — — — 98
73 — — — 96. — — — 98
76 — — — 96. — — — 98
79 — — — 95. — — — 97
80 — — — 95. — — — 98
80 — — — 97. — — — 99
81 — — — 95. — — — 97
82 — — — 95. — — — 78
73 — — — 96. — — — 98
84 — — — 96. — — — 99
90 — — — 96. — — — 99
91 — — — 98. — — — 100

Ergo in omni hominum ætate calor naturalis æqualis eſt, & latitudinem illam poſcit, quam in Adultis requiri demonſtravi. Erantque omnes illi infantes, pueri, ſenes, utriuſque ſexûs; nec minores gradus hîc fœminam notant, cum promiſcuè nunc maſculi, nunc femellæ, minorem notarent majoremve gradum.

Igitur vetuſtiſſimi Authores, diverſitatem in variâ ætate caloris ſtatuentes, eam ita explicuêre, ut cum experimen-perimentis eorum obſervata apprimè congruant; ſaltem quoad infantes, pue-

ros, juvenes, atque ætate florentes. Recentiores occasione certi experimenti gaudentes, neglexêre eâdem frui; quia doctrinam suam de Attritu, genitore caloris, inconcussam credentes, corollaria inde ad Senes, Infantesque, deducta, similiter adeò inconcussa autumarunt, ut vel experimentis nullis indigere sese crederent, vel iisdem & rariis & neglectim captis, abundè confirmata esse concluderent. Adeò quippe arduum est Hypotheseos amore teneri, & interim à veritate non abduci. Utinam his exemplis demum sapientes, desineremus Humano generi nobisque ipsis tam turpiter imponere!

# CAPUT VII.

## DE SINGULARI QUORUNDAM MEDICAMENTORUM VIRTUTE.

§. I. *De Multiplici Autoris Naturæ intentione in ornandis perpetuandisque Vegetabilibus, deque necessitate explorandi eorum vires: quibus intermiscetur seria Venenatarum plantarum Contemplatio.* §. II. *Varia tentamina instituta cum Lysimachiâ vulgari flore purpureo, Polygalâ Virginianâ, & indigenâ quâvis, Murrubio, Abiete, Uvâ ursi. Quâ occasione exhibetur Anatomicus Cadaverum conspectus eorum, quibus Uva ursi frustra data: proponiturque tentamen Prognoseos de Lithotomiâ instituendâ in eo, cui Uva ursi non profuerit.* §. III. *Laus Plantaginis latifolii aquatici, & Aquæ Calcis in hisce iisdem morbis. Laus denique Merc. Subl. corr. in sp. fr. ad multos morbos.*

§. I. FURIBUNDA modernorum Philosophorum Gens impium hoc delirium ingrato pectore fovet, quod Vegetabilia quorum Botanici ac Medi ge-

20000. ferè numerantes, vix $\frac{1}{50}$. partem viribus noſcunt, apertè demonſtrent cæco penitùs materiæ impetu, caſu in motum actæ, prodiiſſe cuncta : Orbemque terrarum hinc multis quidem iiſque præſtantiſſimis rebus expletum fuiſſe, ſed ſimul etiam multis inutilibus, noxiis, letiferis. Nos qui infinitâ DEI clementiâ, eâ felicitate gaudemus, ut Naturæ Autorem ex ipsâ Naturæ contemplatione veluti præſentem intueamur præſentes, atque ad adorandum & amandum Illum fide adducamur, moveamur, ac veluti cogamur; nos, inquam, hanc impiam gentem deteſtantes, mentemque illis ſanam apprecati, tam certum habemus, quàm quod certiſſimum, OMNIPOTENTEM in Vegetabilibus ex nihilo creandis perpetuandiſque, plurimas habuiſſe ſapientiſſimaſque rationes ; quarum nonnullas piâ conjecturâ aſſequimur, alias demonſtratione percipimus, plures denique ignorantiâ involutas adoramus, oſculamur. Fruſtra enim eum nihil feciſſe arbitramur, qui Sap. 11. v. 12. *omnia in menſurâ & numero & pondere diſpoſuit* ; qui ipſe quæcumque fecerat, approbavit, Gen. 1. v. 31. *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.*

Ac primùm quidem videtur DEUS Tellurem amoeno hoc adſpectu ornaſſe, hominem recreandi, exhilarandi, ſeque laudandi gratiâ. Integer *Adamus* & ſanctus, hunc certò inde uſum habuit, virtutis Plantarum medicæ, qui illibatâ ſanitate perpetuò fruebatur, minimè indigus. Atque & ipſi nos mortales, *Adami* deploranda proſapia, læto Plantarum adſpectu, mirificè nos delectari percipimus: & ſi rectè ſapimus, ſi intelligimus, quid ſibi benigniſſimus noſter Servator velit, Matth. 6. v. 29. aſſerens ditiſſimum, regioque ſplendore fulgentem *Salomonem*, *in omni gloriâ ſuâ haud ita cooportum fuiſſe, quàm cooperiantur Lilia agri*, nequimus non in ſummas Creatoris laudes effundi.

2. Numeroſam claſſem conſtituunt Vegetabilia, quæ hominem veſtiant, alant, tegant, calefaciant.

3. Animalia, terreſtria, aquatilia, volatilia, in uſum creata hominis erant, primò ad veſtiendum & agriculturam; poſtque Cataclyſmum etiam ad nutriendum; tum & ad uſus Mechanicos, Medicos. Hinc plana Tellus, & Juga montium, Mare quoque, ac Flumina, undique vegetabilibus ornanda erant; ut & alimenta inde haberent Animalia, &

in iis nidos ſtruendi ponendique, tum & pullos alendi, ſub iiſdem habitandi, ſimileſque alios inde uſus captandi, occaſionem nanciſcerentur.

4. Cœlo decidua pluvia in Arbores, Frutices, Plantas, incidens, moram trahens, earumdemque propterea viribus imprægnata, partim ſe in telluris montiumque gremium inſinuat, fertilitatem fortè iiſdem concilians; partim juxta declives montes, perque eorum incilia, in terram cadens, fontes ac flumina format. Unde oportet aquas quodammodo medicatas reddi; ad potum proinde, ad lavacrum, ad balneum, fieri ſalubres.

5. Atmoſphæra porrò tota quantoperene debeat plantarum impleri, ſaturarique effluviis! Ut ipſi Nautæ, odore illarum percepto intelligant ſe continenti proximiores fieri. Eſtque hæc una de cauſis, quæ aëra ruſticanum adeò ſalubrem reddant.

Sed ad hanc, ut & ad præcedentem rationem, forſitan de impiâ Gente quiſquam ipſam PROVIDENTIAM de *noncurantiâ* accuſare audebit; eo quod tum aër, tum aqua, æquè venenatis, quàm ſalubribus imprægnentur effluviis particuliſque: adeòque ſi hinc proſint, illinc

noceant vehementer. Sed O minutum philoſophum! Noxias vocat plantas, venenatas vocat, letiferas vocat, quæ quid propriè ſint, ne intelligit quidem. Centenæ certè venenatæ ſunt, & quia venenatæ, ideò ſalubres. Ita tota plantarum claſſis alvum, ventriculum, urinas moventium, venenata quidem, & inimica corpori, & letalis tandem fit, aſſumta ſi fuerit copioſiùs; cognita autem debitis experimentis aptâ earum doſi, ſalutifera eſſe hæc tota deprehenditur claſſis. Verum venenum eſt Opium; juſtâ autem doſi moderator dolorum eſt, turbarum pacator eſt, ſtator eſt nimiæ evacuationis. Aſſa fœtida copioſiùs data ventriculum ſubvertit, rarefacit humores, febrem creat; moderatè ſumpta corpori prodeſt, ſolvendo, reficiendo; tandem Gentibus nonnullis patinis molliter affricta, gratiam eduliis ſummam conciliat. Dulco-amaræ ſtipites majori doſi convulſiones & deliria excitant; moderatâ verò ſpaſmos convulſioneſque ſolvunt, humores blandè attenuant.

Hinc in eam ſententiam facilè inducimur, quòd venena plurima ideò venena ſint, quia nimiâ copiâ dantur; aptâ ſi doſi darentur, egregia futura Sa-

nitatis auxilia. Id quod judicium tamen, & prudentiam, & tempus, omninò requirit. Attamen nemini mirum videri debet, ſi quondam nonnulli ſua horum ſpecimina, probatoſque ſalubres effectus, publicè prodant. Quid ergo ille male feriatus Sophiſtes mihi reſpondebit, aſſerenti venenatas plantas meritò creatas eſſe, quòd ad ſalutiferum uſum Athmoſphæræ & Aquæ, earum effluvia in universâ effluviorum miſcelâ, juſtâ proportione, neceſſariò requirebantur; quòdque ſpes ſit fore, ut demum etiam interno uſu adplicatuve externo, ſi ſemel aquæ earum doſis determinata fuerit, Mortalibus egregios producant effectus? *Helleborus, Phellandrium, Cicuta, Solana varia, Bella Dona, Hyoſcyamus*, & id genus alia, noſcuntur interno externove uſu, noxiæ plantæ non eſſe, ferrique, ſi non internè omnes, externè ſaltem poſſe; hinc fore ut aliæ venenatæ plantæ etiam Salutares demum deprehendantur, ſpem meritò faciunt.

Hinc 6°. dico: Providentiæ divinæ placuit ſcientiam virtutum plantarum, inſtinctu naturali, caſu, obſervatione, ratiocinio, manifeſtare, idque ita per cuncta ſæcula. *A DEO enim eſt omnis*

*medela.* Eccli. 38. *Altiſſimus creavit de terrâ medicamenta, . . . Ad agnitionem hominum virtus illorum, & dedit hominibus ſcientiam Altiſſimus, honorari in mirabilibus ſuis.* Crevêre hâc ratione experientiæ plurimæ, multaque vegetabilia in uſus patefecêre humanos. Socordiæ ergo ſummæ foret veterum inventis aut nova adjicere nolle, aut adjici poſſe diffidere. *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam,* Pſalm. 18. v. 3. Sed quid demum eſt quòd ſcientiæ noſtræ incrementa retardat? Caſus fortuiti, inſtinctus naturales, ut olim, ita & hodie obtingunt: priſca gens, in omnia attenta notabat ea, privatos publicoſque communicabat in uſus: nos vago impetu ad altiora nobis volantes, ea negligimus quæ & nobis coram, & ad noſtrum aptiſſima captum obſervanda dabantur. Atque utinam adhuc inventis Priſcorum uteremur! Sed proh dolor! plurimarum herbarum vires à *Dioſcoride* olim, recentiùs à *Dodonæo, Cluſio,* aliiſque enarrantur, laudantur, exemplis demonſtrantur; quarum nos nec uſum, nec ipſam mentionem facimus: atque ita ad veterum ſapientiam nihil novi addimus, ſed partem adhuc detrahimus, oblivioneque

ſepelimus; ſicque in Materiâ Medicâ longè pauperiores ipſis deprehendimur. Hæc porrò me impulit cauſa, ut dudum viribus ſimplicium, quas vetuſtas cognovit, neglexit poſterior ætas, ex oblivione reſuſcitandis totum me dederim, & nova quædam obſervata iis, quæ Partibus prioribus dedi, adjecerim.

§. II. 1. Quæ de *Lyſimachiâ vulgari flore purpureo*, anno præterito notavi in Diarrhœis ac Dyſenteriis à laxitate oriundis; etiam in Diarrhæis & Dyſenteriis olim à causâ quâvis aliâ productis, jamque causâ priore devictâ, à debilitate ſuperſtite poſtmodum continuatis, multa nova experimenta confirmarunt.

2. Radix *Polygalæ Virginianæ*, Antidota inventa fuerat adverſus morſum ſerpentis, dicti *Boicininga*. Cum porrò cadavera eorum, quos morſus iſte ſuſtulerat, coagulatum phlogiſticè ſanguinem omninò exhiberent, Medicus *Anglus* periculum fecit an eadem Radix, quemadmodum inflammatum morſu ſerpentis cruorem curat, ita eumdem ſpiſſitudine inflammatoriâ obſitum quoque curaret? Votis experimentum reſpondit. Medici *Pariſienſes* idem experti ſunt quâcumque Polygalarum gallicarum ſpecie. Vide *de Sauvages* Diſſ. Acad. *ſur l'Inflammation*. In acutis in-

flammatoriis experimentum facere nolui, quia voto non respondens periculosum esse potuisset: dum enim experimentum fit, non est dandum aliud interea remedium, siquidem alioquin ejus, de quo quæritur, efficacia non patefiat. Hinc quatuor diversis hominibus dedi qui ex inflammatorio morbo suppurationem habentes, continuò prava de integro symptomata à phlogisticâ sanguinis Diathesi paterentur; sed binorum mensium tempore in uno, quatuor in alio, in aliis duobus quinque, datum remedium non profuit: sanguine ad necessarias indicationes postliminio sæpiùs misso, crustam densam ac tenacem perpetuò gerente. Lac cum melle copiosum adjunxeram duntaxat; tum quod hoc eidem indicationi inserviens, vires medicamenti infringere non posset, tum ne, si illud ipsum medicamentum non juvaret, reliquis artis auxiliis ægri omninò carerent.

3. *Marrubium* in abcessu, maximè Pulmonum, veteribus celebratissimum, in uno alterove casu aliquantum profuit; in cæteris minimè.

4. *Abies* in Scorbuto quocumque adeò celebrata, trimestri spatio à Puellâ maximè scorbuticâ affatim epota, nihil at-

tulit levaminis, nunquam pro ichore ulcerum verum pus produxit.

5. *Uva urſi* variæ fuit in variis efficaciæ, quam expedit exactè enarrare.

Omnes, quotquot ſuppuratione, eâque etiam validâ diuturnâque, ac reliquis auxiliis immorigerâ, in Syſtemate urinoſo, Renibus, Ureteribus, Veſicâ, Urethrâ, Scroto, Perinæo, nullâ labe venereâ ſubliteſcente, laborarunt, idque citra evidentia præſentis calculi ſigna; hi paſſim & integrè *Uvâ urſi* curati ſunt, & conſtantiam curæ hucuſque referunt.

Qui manifeſto calculo, calculiſve laborarunt, horum plures tam conſtans levamen habent, ut dudum etiam à remedio quieſcentes, nec doleant, nec ullum in Urinâ reddendâ retinendâve incommodum patiantur. Hos inter Octuagenarium numero, qui à 40. annis parvos lapillulos, multamque arenam, mucum tenacem frequenter minxerit, doloreſque inde paſſus enormes fuerit: ante uſum hujus remedii omnem plurimorum Europeæ Medicorum opem fruſtra expertus. Videantur etiam exempla n°. 2. & 5. cap. ſeq. de *Viribus Electricis*.

Alia Claſſis horum eſt, qui remedio

hoc curati visi, denuò relaberentur: repetito remedio, iterùm quasi curati: idque ita per 3. 5. 6. vices. His suadeo perpetuò continuent; quod à plerisque, dum bellè habent, vix obtinemus.

Tertia classis eos continet, qui vel nihil leventur, vel ad tempus modò: ita ut sub continuato remedio æquè gravia symptomata patiantur, quàm eodem non usi; quique vel ad Lithotomiam confugere debuêre, vel viribus fracti, adeòque ad Lithotomiam inepti, occubuerunt.

Hos posteriores inter Puer fuit, de quo *Rat. Med. part. 3. cap. 4. pag. 162. n°. 3.* Huic & levamen inconstans & febris hectica aderat, hincque ad Lithotomiam destinatus. Sed Dysenteriâ tenesmodè cum magno Recti intestini prolapsu obortâ, operatio differebatur. Dysenteria tandem sustulit illum.

Haud sane profuturam operationem fuisse testabatur cadaver. Vesica urinaria circum calculum in substantiam densam compactamque ita contrahebatur, ut vix supereffet, quod lotium exciperet, cavum. Calculus ad forcipis adtactum in centena fragmenta dissiliit. Erant autem Ureteres utrinque, totâ suâ longitudine, digitum ampli, atque ubique,

inæqualiter tamen, calloſi; proindeque, qui contraherent ſeſe, prorsùm inepti. Eorum in dextro, & volvulus ingens, & tota interna ſuperficies purulenta, puſque effundens. Renes toti calloſi. Ita ut omne ſyſtema Ouropoieticon, adeò immedicabiliter degenerans, nullum ferè levamen à ſectione Calculi retuliſſet.

Similem harum partium degenerationem, ſed graviorem, in viri 37. annorum corpore invenimus; qui è longinquo ad Noſocomium *Fr. Miſeric.* delatus, Lithotomiam præ dolorum immanitate enixè rogabat, eamque certò ſubiturus fuiſſet, niſi, quâ erat, inſignis debilitas procraſtinaſſet eamdem. Tempore igitur intermedio, quo reſtaurandis viribus allaborabatur, ſimul *Uva urſi*, cum Paregoricis, data fuit; idque eo profectò cum ſuccuſſu, ut per aliquot ſeptimanas dolores admodum mites expertus, ſolo virium defectu periret.

Utraque hæc Hiſtoria, ſimileſque *Part. 1. cap. 7. pag. 81.* enarratæ, oſtendunt ejuſmodi mirificas ſyſtematis urinoſi degenerationes eſſe, homineſque tales nec remediis ſanari, nec ſectione poſſe. Quid enim proderit calculo ſectum eſſe, & interim pelvim ureteresve, adeò & amplos habere, & tortuo-

ſos, & calloſos, & purulentos? Quæ cum à priore non cognoſcantur, patet Lithotomiam eventûs incerti eſſe; hujuſque incertitudinis ægros, dum eam rogent, rogenturve, ſeriò monendos eſſe.

An paſſim ii, quos *Uva urſi* non juvat, ſuſpicione laborent ejuſmodi degenerationis? An igitur ideò, qui *Uvâ urſi* immedicabiles ſunt, etiam ad fortunatam ſectionem inepti? Saltem contrarium nondum experti ſumus. Calloſa penitùs pelvis; Calloſus, & convolutus, ſedeque pulſus, atque ſuâ amplitudine inteſtinum potiùs quàm ureterem referens, ureter, urinam ſuſcipiunt, copiosè colligunt, nec niſi ingenti cum difficultate in calloſam contractamque veſicam impellunt. Quin & ſemidigitum craſſa, eove craſſior veſica, univerſim calloſa, vulnere facto non coëuns, perpetuum urinæ ſtillicidium, ſi vita adhuc perdurat, excitat.

Cum *Uva urſi* adeò egregia deprehendatur in ſyſtematis urinarii abſceſſibus, occupor jam viribus ejuſdem explorandis in quoque aliorum viſcerum abſceſſu: at verò pauciora ac recentiora ſunt experimenta, quàm ut hucuſque certi quidquam pronunciare auſim.

§. III.

§. III. Amicus, Medicus celeberrimus, laudes ad me ſcripſit *Plantaginis aquaticæ latifoliæ*, in infuſo aquoſo propinatæ, ad calculoſos morbos, ut eam cum *Uvâ Urſi* viribus decertare arbitretur. Factis experimentis effectus egregios cum laudato caro, jamque celebri nomine autoris, fore ut evulgem ſpero.

Curæ Aquâ Calcis & Sapone quondam peractæ conſtantes manent: hocque ipſo tempore eamdem denuò multâ cum ſpe inſtituo.

Mercurii Sublimati corroſivi, ſpiritu frumenti miſti, uſus in Noſocomio copioſiſſimus, perſeverat miras edere curas; quaſque præcedentibus annis inde habuimus, gaudemus conſtantes: malo ſemel bene curato, nunquam, niſi ad novos errores, repullulante. Hoc currente anno Amauroſes incipientes, Pannos, Albugines, annoſas narium labiorumque exeſiones, &c. aliquoties feliciter inde curavimus: fatendum tamen eſt in quibuſdam caſibus ſuſceptam curam haud ſucceſſiſſe.

# CAPUT VIII.

## DE VIRIBUS ELECTRICIS.

§. I. *Curæ hoc anno vi electrinâ peractæ.*
§. II. *Fruſtranea quædam tentamina.*
§. III. *Apoplexia mucoſa, terribilibus ſymptomatibus ſociata inde curatur.*
§. IV. *Difficultas curæ Paralyſeos & Convulſionis in facie, reliquo corpore ſano: mirandâ Naturæ viâ, ad deſperatiſſimum ejuſmodi caſum curandum.*

ELECTRICITATEM ſexto jam anno in hoc Noſocomio proſecutus, eam mihi ſententiam annuatim firmiorem gaudeo, quod inter præſtantiſſima artis auxilia jure referenda ſit: licet enim multis fruſtra adplicetur; pluribus tamen eam ſive emendationem mali, ſive integram curationem conferre, quam nullo alio auxilio Ars præſtare potuiſſet, indies teſtatius redditur. En iterùm Experimentorum hujus anni compendium.

1. Deauratores, quorum felices hiſtoriæ anno ultimo dabantur, partim pulchrè ſe habere pergunt, partim ab aliquot ſeptimanis, quod ferè nunquam

à Mercurii hauriendis vaporibus quiescant, in antiqua mala incidere incipiunt, ideòque nunc denuò ad *Machinam* accedunt.

2. *Baumgartnerin* 59. ann. malignè ante biennium decumbens, nec ritè judicata, dudum languit, ac tandem eousque restituebatur, ut incedere utcumque, ægrè tamen, inciperet. Verùm integro eo biennio Dysuria & Stranguria, maligno morbo ortæ, miserrimè eam hucusque excruciabant; dextraque manus tota ita debilitata manserat, ut prehendere eadem, tenereque posset nihil; ultimi autem digiti perpetuò frigerent. Hanc & ad *Machinam* admovi, & *Uvam ursinam* ipsi dedi. Utroque hoc auxilio bimestri spatio usa, ita restituta fuit sanitati, ut post integram curationem elapso mense me adhuc adierit, DEO præprimis, tum & mihi, quod utrâque hâc calamitate dudum jam liberata esset, gratias actura.

3. *Adam Schneider* 47. annos natus, mense Aug. 1758. illibatâ valetudine gaudens, dum Citharâ ludit, percipit manifestò sinistro in capitis latere frigidam veluti auram suboriri, eamque sensim descendere ad collum, pectus, brachium, & crus ejusdem sinistri la-

teris; poſtquam tandem totum illud latus paralyticum deprehendit, mente interim ſemper ſibi præſens. Linguam quoque impeditam in loquelâ, totamque genam ſiniſtram adeò paralyticam deprehendit, ut facies tota fœdo ſanè adſpectu dextrorsùm diſtraheretur. Oculus porrò ſiniſter à primo invadentis mali momento tantopere debilitabatur, ut poſtmodum parùm admodum eodem videret. Remediis ſibi à Medico ſuo datis, intra XI. ſeptimanas id lucrabatur, ut paulò expeditior fieret linguæ motus, pedique inſiſtere per momentum, bono ſcipione innixus, utcumque valeret; in cæteris per omnia idem. 7. Nov. ad *Machinam* primùm admotus eſt, & 1750. 24. Febr. oculo lucratus nihil, genam perfectè reſtitutam gaudet, pede apto integroque ita fruitur, ut genu tantiſper, ſed rariùs, titubet, brachioque etiam emendetur. Gaviſus ita hâc curâ eſt, ut integram neglexerit.

4. *Magdalena Strekerin* 40. annum agens, à ſexennio Catameniis caret, pectore hinc anxia, multâque pituitâ obſeſſo, ægrè vitam tulit. Acceſſit ut ineunte hoc, quem vivimus, anno, in cubitum ceciderit; tumidumque primò

brachium, ac, tumore remittente, frigidum immobileque deinceps habuerit: cunctis digitorum unguibus ſecedentibus prorsùm, & eorum in locum difformi cornu enato. Primò quidem labefactatæ ſanitati reſtituendæ intentus fui, eamque conſequutus, menſe Maio fœminam ad *Machinam electricam* admovi. Inde emendatur, ſed tardè admodum; emendanda citiùs, ſi diligentiùs accederet: quòd autem frequenter deſit, id inde ortum ait, quòd ſi 3. 4. diebus ſibi ſubſequentibus adfuerit, artus omnes ſibi vehementer doleant; ita quidem ut quiete nonnullâ indigeat, antequam ille dolor evaneſcat. Sanitas interim corporis integra jam adeſt; ut etiam Brachii cura meritò ſperanda ſit.

3. *Georgius Huber* 56. ann. 3. Mart 1759. primùm ad me accedens, novendecim annos narrabat elapſos eſſe, quod in Lumbis ac Perinæo validos ſit paſſus dolores, multoſque calculos parvos eminxerit. Dolores deſcribit ſic, ut ad lumbos perpetuò oriantur, pergantque deinceps ad inguina. Decem abhinc prægreſſis diebus, perceperat calculum à Rene pelli, per ureterem premi, mingique dein ceptum, in urethrâ ſubſiſtere, & integro quatriduo ibidem hære-

re ; urinâ interim guttatim modò ac furtim transfluente. Eo tempore rus sibi petendum erat. Quò carpento vectus, calculum vi emisit, urinæque simul ingens profluvium : redeuntibus tamen mox symptomatibus antiquis.

Sub ipsum hoc tempus, nempe novem abhinc diebus elapsis, contigerat, ut nocte evigilans, totum brachium sinistrum sibi paralyticum esse percipe-ret, sequenti autem die totum latus & linguam. Ex his omnibus sola lingua jam emendatior erat.

Primùm curam systemati urinario læso adhibui, datâ *Uvâ ursinâ* : à quâ mox opem mirificam expertus est. Interea temporis fumo aromatico partes paralyticæ, totaque spina dorsi, egregiè fricabantur. Cum spatio Mensis calculi symptomata integrè silerent, ad *Electricam machinam* eum cepi adhibere. Quarto porrò die ad ipsam *Machinam* sentit novum descendentem à Rene calculum, qui in urethram dein pulsus, horæ spatio mox emingebatur, ubi antea urethra hoc crudeli hospite 3. 4. diebus excruciari solebat. Cum nec doluit deinde, nec calculos ultra excrevit, licet *Uvâ ursi* binis modo mensibus usus esset, neglexit hucusque totam Paraly-

ſeos curam, licet hæc ſpem curæ minorem non daret, quàm cura calculi.

6. *Benedictus Erringer*, ann. 18 molitor, 5. Julii 1759. horâ ſextâ veſpertinâ, medio in opere ſuo, vertigine & ſomnolentiâ corripitur & retrocadit, per $\frac{1}{4}$. horæ ſibi non præſens. Poſtquam ad ſe redierat, pedibus inſiſtere neutiquam potuit, uti neque integro quatriduo poſt. Venâ 8. Julii ſectâ, cepit 8. & 10. Julii pedi inniti ſenſim poſſe. Quod autem notandum, ab ipſo primo mali inchoantis momento manus dextra vehementer tremuit, idque diu noctuque, ut eâdem perficere nihil, nihil tenere, nec cochleare ad manducandum dirigere poſſet. Non enim tremor modò aderat, ſed etiam digitorum perfecta Paralyſis. Sic ſe habens adiit 23. Julii Nobiliſſ. B. *van Swieten*; qui re examinatâ eum mox ad me miſit, quò ad *Machinam* adhiberetur. Adhibui. Vix decem ictus ſuſtinuerat, quin curatum ſe diceret. Perfectiſſimèque curatus manet hucuſque.

7. *Marcus Krafft* ſomno obreptus, capite ſuo incumbit brachio dextro. Expergefactus deprehendit totum brachium, manum, digitos, omni prorsùs motu carere. Senſus admodum paucus

adeſt : pollex verò & index internè externèque frigidi, ne vellicati quidem quidquam ſentiunt. Malo jam 19. diem numerante, ad *Machinam* acceſſit : vires ejus 19. diebus expertus, ſanitatem integerrimam recuperavit.

8. *Scibaldin* me convenit 13. Sept. 1758. Hæc dudum jam cum Marito occupabatur plumbo veteri purificando, fundendo, hincque jam à dimidio anno in *Colicam Pictonum* incidens, dolores ventris enormes patiebatur, dolores quoque ac tremores per artus univerſos. Dedi ipſi ſingulis veſperis unc. $1\frac{1}{2}$. Syrupi Diacodii, unico hauſtu aſſumendas. Unde mox levata, poſt decimum hauſtum perfectam ſanitatem nacta eſt; ſolo tremore redeunte poſthac, ac perſeverante. Ad *Machinam* tunc admovi, denique pilulas ex ſap. ven. unc. $\frac{1}{2}$. gum. amm. Ter. fol. tart. Maſ. pil. Ruf. à dr. 11. & Suffumigium ad fricandum abdomen & artus. Hinc ſpatio 2. menſium perfectiſſimè curata eſt; curata manſit, donec cupro, aliiſque metallis, & ſemimetallis fundendis iterùm occupata, veteris mali reditum animadvertat, jamque ad *Machinam* denùò accedere inchoet.

9. Tentavi an Experimentum *Elec-*

*tricitatis* ſuccederet in curandis colli ſtrumis ſcrophuliſque, quemadmodum Act. Acad. *Monſpel.* id teſtantur. Binas puellas per 8. menſes conſtanter ad *Machinam* adplicui, ictu ad affecta loca determinato, ſed fruſtra fui. An mala inveterata nimis?

10. Curationes *Part.* 3. *cap.* 6. nº. 17. 19. 20. 25. inceptæ dudumque protractæ nondum perficiuntur, ſpem jam minorem, jam majorem facientes.

§. III. Atque hæc de experimentis noſtris ſufficiant. Addam quod de viribus *electricis* ad Apoplexiam mucoſam mecum communicaverit celeberrimus apud *Haganos* C. H. *Velſe*: « Virgo, » inquit, honeſtiſſima 24. ætatis annum agens, tenerrima, nuper Apoplexiâ pituitosâ corripiebatur, cum » palpitationibus cordis tam irregularibus, itemque adeò coſtas pulſantibus, ut eas manifeſtò audire, licet » ſatis diſtans, poſſem; & præterea » cum largiſſimo ſudoris totius corporis profluvio. Hæc cum morbo Chronico, diverſiſſimis ſymptomatibus » corpus conterente, & ſanguinis (qui » miſſus poſtridie nonnunquam in ſerum totus liqueſcebat, vix phlogiſticæ » placentulæ ſuperſtite veſtigio) Miſ-

» siones, sexenties forsan, nunquam
» tamen citra summam necessitatem in-
» tra quinquennium repetitas, exigen-
» te, diu luctata, & adeò enervis erat,
» ut (in hâc Apoplexiâ) evacuantia
» quæcumque vetarentur; neque robo-
» rantibus aut spirituosis ingerendis,
» ob deglutitionem prorsùs sublatam,
» & linguam exsertam, ulla spes supe-
» resset. Quamobrem actutùm *Electri-*
» *citatis Neupertianæ* periculum feci;
» sed non àlio cùm eventu, quàm quòd
» palpitatio cordis multùm remitteret,
» & sisteretur sudoris per aliquot horas
» eruptio, Apoplexiæ tenore eodem
» perseverante: usque dum, 18. inde
» elapsis horis, secundâ vice virtutem
» *electricam* diu in Nasum determina-
» ram, atque hinc primò indicia sensûs
» ingrati, deinde sternutationem fre-
» quentem, tandem mediâ horâ post,
» Apoplexiæ sanationem feliciſſimè ef-
» ficerem.

Demùm & hoc addiderim. Genarum Paralysin & Convulsionem Chronicam, rariùs curare solemus, quàm desperatam relinquere. Præcipuè si topicum hoc faciei vitium id unicum sit, quod toto in homine accuses. Absolvi equidem hanc curam nonnunquam, sed frequen-

tiùs fruſtra fui. Et etiamnum fœmina adeſt, quæ à biennio fluxum puris dextrâ aure paſſa, tandem anno 1758. exeunte, Paralyſin fœdam oculi dextri, dextræque genæ patitur, fluxu purulento auris nihilominùs continuante. Octavo jam menſe ad *Machinam* accedit; oculo multùm, genâ ferè nihil lucrata; quamvis & ad originem Rami infraorbitalis, ſecundi rami Quinti paris, & ad locum ubi portio Dura Septimi paris Aquæ ductu *Fallopii* emergit, pedem dictum Anſerinum formatura, vis *electrica* peculiariter determinetur. Ut autem in topicâ hâc Paralyſi, ita quoque res ſe habet in Topicâ hujus loci convulſione: hæc etiam artem noſtram ludere ſolet. Anatomicorum hujus Sæculi facilè Princeps *Albinus*, narrabat nobis in Collegiis ejuſmodi Convulſionem quondam ſibi curandam datam fuiſſe, eamque ad omnia rebellem, ſeſe, Nervo infraorbitali abſciſſo, percuraſſe. Sed en alium caſum, qui doceat quàm expedire nonnunquam ſe norit miris Natura modis! Communicavit illum nuperrimè mecum integerrimus amicus, celeberrimus apud *Hagonos* Practicus, *Abrahamus Weſterhoff*, vir cujus conſilio arduis in rebus ſaluberrimo ſæ-

piùs me uſum eſſe gratus recordor. Caſus quippe per omnia illi *Albiniano* ſimilis, tum maximè annoſus erat, tum ad quævis artis auxilia, vimque *electricam*, penitùs immoriger. Conſuluerat clarus Amicus eumdem noſtrum venerandum Magiſtrum, qui curæ tam egregiè quondam à ſe peractæ probè memor, eam tamen hîc ambiguam ſuſpicabitur; cum qui propriè ramus incidendus, non poterat determinare. Sed en quid tunc contigit! » Fit interim, inquit, ut par-
» vus tumor Cyſticus, mollis, enaſca-
» tur in parte interiore labii inferioris,
» continuò increſcens, mobilis neque
» dolens. Quum ego & incrementum
» nimiùm metuerem, &, quòd ſpaſ-
» modica affectio ingrata illa viciniam
» conſtans occuparet, hinc mihi per-
» ſuaderem, poſſe aliquid inde boni
» redundare; curavi exſcindendum in-
» tegrum. Effectu laudatiſſimo! Sana-
» tus homo eſt, manus Chirurgi tem-
» pore breviſſimo morbum ſuſtulit, quo
» Vir nobiliſſimus per annos laborave-
» rat, languerat, quovis pretio redi-
» mire curationem dudum paratiſſi-
» mus.

ANTONII

# ANTONII DE HAEN,

# RATIO MEDENDI.

## *PARS QUINTA.*

BIBLIOTECA NACIONAL
DE MAESTROS

# ANTONII DE HAEN,

*CONSILIARII ET ARCHIATRI*

## S. C. R. A. MAJESTATIS,

NEC NON MEDICINÆ PRACTICÆ

IN UNIVERSITATE VINDOBONENSI

*PROFESSORIS PRIMARII,*

# RATIO MEDENDI

IN NOSOCOMIO PRACTICO.

## PARS QUINTA.

PARISIIS,

Apud P. F. DIDOT Juniorem, Bibliopolam, ad Ripam Auguſtinianorum, propè Pontem Sancti Michaelis, ſub Signo S. Auguſtini.

M. DCC. LXI.

*Cum Approbatione, & Privilegio Regis.*

# AUGUSTISSIMÆ ROMANORUM IMPERATRICI, MARIÆ THERESIÆ,

Dominæ ſuæ Clementiſſimæ,

ANTONIUS DE HAEN.

*POSTQUAM Medicinam Hypotheſibus innixam fugare, eamdem autem ſolis, quoad ejus fieri poſſit, experimentis fundatam, cum ad lectos ægrorum tradere, tum pro ſuggeſtu exponere, illuſtrare, ampliſicareque, mihi, AUGUSTISSIMA IMPERATRIX, ab ipſo principio mei ad tuam Univerſitatem Viennenſem adventûs, ſeriò mandaſſes, nequeo citra ſummum animi oblectamentum gratitudinemque, non meminiſſe, quàm gratioſiſſimo ſanè vultu varia tentaminum meorum ſpecimina contemplarere. Cum enim latini ſermonis haud ignara, opuſcula mea volvere non dedignabaris, vehementer videbaris laudare Ducem me ſequi* Hppocratem, *quem talem ubique Virum*

*prædicari audiveras, qui nullo unquam ſyſtemate implicitus, nullo partium ſtudio abreptus, nullâ ſeductus opinione, nullâ denique arrogantiâ elatus, è contrario verò fidus & ſolers & docilis & indefeſſus naturæ miniſter, naturam in proſperâ adverſâque valetudine, unicè conſuluerat, eâdemque ſimplicitate & candore, atque detexerat illam, in ſeros uſque traduxerat nepotes. Approbabat præterea Majeſtas tua non niſi ſummos Doctrinæ Hippocraticæ adminiſtratores imitatoreſque, cum in faciendâ Medicinâ me ſequi, tum & ad legendos & imitandos commendare Auditoribus: hos verò inter, duo maxima fulgentiſſimaque Medicinæ Naturalis lumina, duos naturæ genuiſſimos cultores* Hippocrates, *me in ore habere perpetuo; ſcilicet* Immortalem Bœrhaavium, *qui ut ubivis terrarum, ita potiſſimùm apud te, doctrinæ limpidæ, nativi candoris, ſapientiæ ferè immenſæ, indefeſſi laboris, feliciſſimarumque*

eâ de causâ curarum famâ fulgebat: Virum deinde, Archiatrorum tuorum principem, quem & Orbis Medicus universus ob incomparabiles in Bœrhaavium Commentarios summis semper laudibus effert; & ego ob Tyrocinii mei partem, eo Præceptore transactam, sapientissimaque ejus Consilia, quibus à triginta fermè annis fruor, æternum venerabor; &, quod culmen humanarum rerum est, quem ipsa tua Majestas propter Medicinæ exercitium, quod in sese, quod in universâ Augustâ Familiâ, quod in Nobiliorum pluribus, experta felicissimum est, tanto honore condecorat, tantâque existimatione ac benevolentiâ complectitur, ut illc sanè complementum possideat omnis humanæ felicitatis.

Quæ cum ita se habeant, Quintum Operis partem tuæ Majestati ad pedes eò confidentiùs depono, quò id testetur apertiùs, id altiùs clamet, quod ad Regiam Voluntatem magis me magisque accom-

*modem; Medicinam, Ducibus naturâ hisque fidis naturæ ministris, unicè colendo, colendamque monstrando. Idque volupe sanè. Quamvis enim sola tuæ Majestatis Intentio sufficiat, ut demandatam hanc mihi Provinciam strenuè administrem, tamen insitus ad Philosophiam Naturalem amor ad illam gnaviter administrandam haud exiguum affert auxilium. Unde hoc ipsum Medicinæ Professoris munus, quo à septem cum dimidio annis condecorare me dignabaris, me recreat potiùs quàm defatigat, me unicè oblectat, me rapit totum.*

*Quapropter simul hanc occasionem arripio publicè tibi* AUGUSTISSIMA IMPERATRIX, *gratias testandi, quas debeo, maximas, quod dum immeritum me honorificentissimo Archiatri tui honore beasti, id ita moderaveris, ut munus Professorium commodissimè curatissimèque sustinere pergam.*

Dabam 8 Novembris 1760.

# ANTONII DE HAEN RATIO MEDENDI.

## PARS QUINTA.

### CAPUT I.

### De Febribus cum Exanthematibus, quæ Petechiæ et Miliaria vocari solent.

§. I. *Historiæ XVII. Ægrorum, hæc Exanthemata planè symptomatica esse probantes: ostenditurque hâc occasione perfectæ Criseos in Acutis certitudinem nos sæpè non habere; sanguinem in Morbis, quos Malignos vocant, & crassissimum sæpè, & maximè esse inflammatum; tandemque communicatur notabilis observatio circa prædictionem in Acutis ex Pulsu intermittente.* §. II. *Ex omnibus horum Ægro-*

*rum exemplis concluditur Exanthemata ſimilia rariùs obſervari oportere, ſi legitima curandi methodus adhibeatur; eaque, ſi contingant, pravæ potiùs Medicationi, quàm Aëri, aut Climati, originem debere; paucis exceptis caſibus, in quibus aut ſpontè, aut contagione naſcuntur.*

§. I. LICET in ultimo *de Febrium Diviſionibus* Tractatu de Exanthematibus Petech. & Miliar. fusè egerim; tamen, cum nova exinde Obſervata colligere licuerit, pondus rerum tantarum me adigit, ut nova hæc Publico communicem, unàque ex Noſocomii Diariis, omnium illorum, qui ibidem unquam hæc paſſi ſunt, fidelem hiſtoriam tradam; quibus eorum, quæ in eodem Tractatu poſui, evidentia, ni fallor, veritaſque pateſcent.

1. Hoc verno tempore proximè elapſo, fœmina 22. annorum Febre validâ laborans, quinto ſui morbi die ad nos delata eſt, extantibus jam tum Petechiis. Verè ardens Febris erat, tertiam eo die habens exacerbationem. In ſummâ omnium cruditate Petechiæ extabant. Igiturne hæ Criticæ? Certè cum

nullum Symptoma miteſceret, quin ingraveſceret potiùs, Symptomaticæ duntaxat vocari merentur. Sanguis hoc die venâ miſſus, cruſtam formabat portionem rubram denſitate ſuperantem. Die ſeptimo ad quartam, eamque prioribus longè mitiorem exacerbationem, Febris ſudore & urinâ maximam partem judicata; ad nonum verò diem, in quinto, eoque omnium leviſſimo inſultu, urinis ac tranſpiratione integrè judicabatur. Novem diebus perſtabant Petechiæ.

Sana octiduò vixit; die autem 17. poſt morbi principium, ad primas carnes vitulinas deguſtatas, licet tenerrimas, in Febrim æquè vehementem incidit: cujus altero die Miliaria alba, numero pauca, comparuêre. Sanguis bis miſſus corio denſiſſimo tegebatur. Nec numero Miliaria augebantur, nec diù perſtabant. Imperfectum judicium contigit 23. morbi die, prægreſſo intermittente Pulſu, per alvum; integrum verò 27. die, eodem modo eodemque Pulſu.

Die 29. nova Febris vehementiſſima oritur, in quâ ſanguis bis venâ miſſus, ſingulis in vaſis, æquè magnam, denſamque habet, quam olim, cruſtam. Nulla verò hîc Exanthemata. Die 4.

& 5. judicium alvo, urinâ, ſudore.

Ex datâ hiſtoriâ nihil evidentius eſt, quàm utrumque hoc Exanthematum genus minimè criticum fuiſſe. Summa morbi cruditas, ejuſque poſtquam hæc effloruiſſent, validum incrementum, critica aliunde contingens poſthac evacuatio, evidenter, arbitror, hæc demonſtrant.

Quod eò magis notandum, quia hic caſus ex rarioribus eſt, in quantum nobis adparet, in quibus nulla arte producta Exanthemata erant. Frigido quippe in loco, frigidâ tempeſtate, primis quatuor morbi diebus ægra jacuerat, remediis calidioribus minimè uſa. Ita ut hæc ne ctitica quidem fuerint, licet pravâ arte non producta. Confirmat id ſententriam, quam egregius *Paulus de Sorbait* annis abhinc 90. ex Cathedrâ *Viennenſi* docebat, *Petechias eſſe motum noxium & ſymptomaticum.* Med. Pract. Tract. 3. pag. 541. & 545.

Advertimus quoque Exanthemata putridæ ſanguinis ſolutioni propriè non deberi; cui poſt eorum exitum idem ſanguis, etiam iteratò miſſus, denſiſſimus fuerit.

Tandem Febris tanto cum furore tertiò repetens nos docet id, quod toties

ad lectos ægrorum advertimus, perfectam non haberi, judicio jam facto, certitudinem morbi ita devicti, ut non fiat Recidiva. Etenim quò omnes functiones perfectiùs celeriùsque in integrum reſtituuntur; quò motus critici diebus judicatoriis exactiùs fiunt; quò denique evacuationes perfectiores conſtantioreſque, cum virium incremento, contingunt; eò minor adeſt Relapsûs metus. At verò hucuſque non habetur ejuſmodi certitudo, quæ excludat omnem omninò Relapsûs formidinem. Vidimus ſanè & in hâc muliere, & in pluribus aliis, nihil judicio defuiſſe; attamen iiſdem ſucceſſiſſe Relapſum. Niſi forſitan quis novum potiùs morbum, quàm Recidivam, appellandum idem eſſe arbitretur: ſed difficulter profectò admittetur hæc opinio, ſi ſuccedentis Febris cum præcedente ſimilitudo attentiùs ponderetur. Itaque merito jure Medici omnem adhibeant diligentiam, ne in ſex rebus non naturalibus quid committatur, quo repetat morbus: juvatque hujus incertitudinis ſeriò monitum eſſe ægrum, monitoſque ejuſdem familiares; ne morbo malè curato adſcribant, quod à quopiam regiminis errore, aut etiam

abſconditis planè de cauſis, poſtliminio fortè contingit.

2. Juvencula 20. annorum nata, tertio Hermitritææ die, Petechias jam habuit, noſtrumque in Noſocomium die quarto illata eſt. Multæ ſanè hoc die conſpiciebantur in jugulo, pectore, humeris, dorſo, lumbis, femoribus, cruribus.

Notabile porrò 1°. quòd hæc fæmina die morbi tertio, ipſo Hemitritææ acceſſu, ſummo mane, in frigido ad 27. gradus aëre, extra Civitatem pedes iverit; nec motu per horam producto ullatenùs incaluerit. 2°. Quòd poſt meridiem intropulſos frigore humores, eoſdemque planè crudos, valido ſudorifero moverit; hincque crudis hiſce ad ambitum corporis pulſis, Petechias conſciverit ſibi. Miri ergo nihil, quod ad 5. diem, cum validâ Hemitritææ exacerbatione, Exanthematis intropulſio obſervaretur. Quare etiam illicò maligni quidpiam hîc præſagiens, Corticem *Peruvianum* dedi. Confeſtim inde convaluit, extra ordinem fluentibus Menſibus, mox à Petechiarum receſſu.

Hæ certè peſſimo more expulſæ, penitùs Symptomaticæ fuêre; eædemque ſuo ſubito receſſu alioquin nocituræ,

jam & dato Cortice, & profluis Catameniis, ſubitam reconvaleſcentiam non retardarunt.

3. Fæmina 39. annum vitæ agens, Cardialgiâ acidâ crudeliter per annos vexata, totaque inde Cachectica, gravi demùm Peripneumoniâ corripiebatur, & ex Noſocomio, in quo multa Exanthemata graſſabantur, die morbi quinto ad nos deferebatur. Maculæ in collo, dorſoque, rubræ, eæque, quòd profundiùs hærerent, quaſi eruptioni impares ſuſpectæ: omnium cruditas morbique augmentum ſuasêre venæ ſectionem. Sanguis cruſtâ facilè transſcindendâ tectus fuit, rubrâ autem parte diſſolutus. Creſcente ad diem 6. Febre cum anxietatibus, veriſque Pulmonis inflammati ſignis, iterata venæ ſectio eſt. Sanguis eductus priori ſimilis, niſi quòd ultimo in vaſe, ſub albâ tremulâque cruſtâ, juſtè compactus cerneretur. Die 7. una puſtula alba Miliaris viſa ad jugulum. Febris pravis cum Symptomatibus perpetuò ſtipata, Pulſuumque exploratione Homotonos quidem appellanda fuit; ſed calore ad Thermometrum menſurato, minimè Homotonos. Die 9. & 10. pauca; die 11. copioſa, eaque alba, in pectore Miliaria; die

12. paulò minùs conſpicua; 13. eadem iterùm, ac nova præterea, in pectore conſpicua. Die 14. mortua eſt. Febris ab initio ad finem uſque horrifica fuit.

Hiſtoria mali docet, 1°. Petechias contagione ſuſceptas, nec ſufficienter propulſas, morbi cum augmento adparuiſſe. 2°. Miliaria eâdem origine nata, quò copioſiora, eò & graviora, & magis fuiſſe letifera. Unde concludimus Exanthemata hæc, non à naturâ, ſed à contagio genita eſſe; eademque minimè Critica, ſed merè Symptomatica habenda fuiſſe.

Hîc in tranſitu noto hoc Exanthematum Contagium, ut illud Variolarum Morbillorumque, ſe ſæpè habere, non niſi prædiſpoſitos afficiundo. Præter alia exempla, memorabile illud Ancillæ eſt, quam ſuſceperamus eo momento ex ædibus eductam, in quibus, jubente Medico, cubiculo arctè clauſo calidiſſimoque inſervierat Patri nobili, filiabuſque duabus, Exanthemate Miliari omnibus ſucceſſivè enectis: Febre continuâ hæc apud nos decubuit, & ſine Exanthemate brevi convaluit.

4. Juvenculæ, Menſibus terrore ſuppreſſis, ingens brachii dolor, breviquè poſt acuta Febris oritur. Die 11. Pe-

ripneumonia adeſt ; albaque Miliaria confeſtim prodeunt , continuòque augentur. Die 14. Gangræna brachii & mors. Eo tempore nondùm ſciveram , quòd poſthac expertus ſum , in Febre continuâ non remittente ac verè inflammatoriâ , ſi Exanthemata adſint , morbuſque rebellis ſit , Corticem *Peruvianum* egregiè prodeſſe.

A reſorptu Ichoris gangrænoſi nata pectoris Anxietas , nata copioſa Miliaria , Criſeos nullam , ni fallor , ſuſpicionem faciunt.

5. Fæmina vehementi irâ excandeſcens , gelidamque affatim hauriens , Febre corripitur ; & continuans interim ancillares labores , vagos ejus inſultus per octiduum ſæpè experitur. Tandem in Continuam incidit , cum gravi pectoris anxietate , vehementi Cephalalgiâ , multâ ſiti , proſtrato appetitu , vertigine , vigiliiſque continuis. Eo in ſtatu omnis auxilii inops , calidâ admodùm tempeſtate , per integram ſeptimanam jacuit , jure carnium & frigidâ aquâ uſa duntaxat. Acceſſit Angina biduò durans , & ſic demùm octavo die continuæ ſuæ Febris ad nos delata eſt. Quo ipſo tempore Catamenia ipſi , octiduo maturiùs , fluere cœperunt. Febris validos artuum

dolores ſibi junctos habebat, vires autem nondùm proſtratas. Die 11. Miliaria maximam partem alba, pauca verò rubra, apparuêre; ſignis coctionis in alvo prægreſſis. Ab 11. ad 14. diem benè procedente Exanthemate, Vomitus glutinoſus vexabat, vel copioſæ Pituitæ, tremulæ, pellucidæ, vitreæ, per alvum ſeceſſus; vel noctes inſomnes, pectoriſque anxietates; imò novi, ſimulque feroces, artuum dolores. Alvo coctâ partim judicata eſt 14. die; ſed eâdem demùm integrè ad diem 17.

Morbus neglectus per 14. dies, humores crudi, ancillaribuſque laboribus intempeſtivè moti, & cum per anguſtiora vaſa tranſadigerentur, dolores rheumaticos excitantes; deinde decubitus per tantos calores in parvo ſqualidoque cubiculo, vix renovatâ Athmoſphærâ, corpus ad Exanthemata neceſſariò diſpoſuêre. Morbus verò poſt exorta Exanthemata, cumque eorumdem non interturbato progreſſu, diris Symptomatibus, cruditatem ſpirantibus, increſcens, poſteaque demùm alvo judicatus; hanc profectò eruptionem minimè Criticam, ſed penitùs Symptomaticam, declaravit.

6. Juvenis Febre continuâ putridâ,

gravi cum Delirio, laborans, in Nosocomium inferebatur. Diem morbi primum exactè rescire non potui; cum ex ejus incertâ ac variatâ enarratione, sextusne ab illo tempore dies, an octavus esset, ambigeretur. Saltem eo tempore crudam morbi materiem Emeticis & Purgantibus moverat; ingentem præcordiorum gravitatem, anxietatemque perpetuò expertus.

Præterea ex Nosocomio alio, ubi Exanthemata ferè perpetua erant, in nostrum ductus erat. Interim sensim ad Coctionem morbus tetendit, alvoque & leni sudore ad judicationem pervenit: urinâ interim sæpè Enæoremate & nubeculâ carente, nec Hypostaticâ unquam.

Judicio prægresso, incredibile quàm citò perfectèque saneserceret; ita ut integris noctibus, idque spontè, dormiret, bellè comederet, totasque obambularet per ædes. Sed biduò post, Miliaria totum pectus obsiderunt; quibus tum prodeuntibus, tum triduò post exsiccari ceptis, mirum quàm bono somno, quàm grato appetitu, quàm facili corporis exercitio, integrâque prorsùm valetudine frueretur.

Neglectus igitur pessimèque tractatus

morbus; decubitus primò pro Patriæ more in calidâ Atmoſphærâ, idque in fervidâ tempeſtate; tandem infectus priore in Noſocomio aër, labem aliquam ſanguini conciliare potuerunt; quæ Criſi prægreſsâ, & recuperatâ ſanitate, expulſa fuerit. Unde certè nec origine nec effectu, hæc Exanthemata Critica fuerunt.

7. Juvenis fæmina ex eodem Noſocomio ſuſcepta, hanc nobis Anamneſin formavit. Tribus integris ſeptimanis laſſitudine ſpontaneâ, cruribuſque nonnihil tumidis, laboraverat, eamque ob cauſam illud Noſocomium adiverat. Ibidem porrò tum præſtantiſſimâ curâ, tum blandâ quiete, ſe ita refocillatam experiebatur, ut repeteret famulatum. At verò eidem ſuſtinendo inepta, in quotidianam Febrim inciderat; ad quam curandam quemdam ſibi pulverem coemerat, qui decies & novies alvum, vomitum autem ter, vehementer ciebat; poſteaque venam ſibi tundi curaverat. Tandem in Continuam acutam Intermittente conversâ, quarto ejus die ad prius Noſocomium, quinto ad noſtrum delata eſt; Petechiis, dum nobis afferebatur, jam prodeuntibus.

Septimo morbi die ſubitò hæ evanuêre,

nuêre, datoque Cortice, paucæ die 8. repullularunt. Die 9. pauca Miliaria alba visa sunt. Vomuit eo die pluries cum Euphoriâ; ut & die 10. Cortice interim uti perrexit, pauciſque opacis Miliaribus, quæ ad posteriora colli perennabant, exceptis, intra octiduum integrè convaluit.

Morbus dudùm neglectus, contagium, intempestivus crudæ materiæ motus, ægram hanc quarto Febris continuæ die Petechiis macularunt. Crevit postea morbus. Cortice sanatus est; licet retrocedentibus Petechiis pauca Miliaria succeſſiſſent. Iterùm nihil hîc Criticum.

8. Juvenis 17. annorum in neglectâ per sex dies Febre continuâ ad nos adfertur. Die 14. Febris, alba Miliaria erupêre. Crevit, iisdem erumpentibus, vis morbi; & qui eò usque bonus fuerat æqualisque pulsus, inæqualis nunc Rythmo temporeque factus est. Unde mox Cortex datus; cujus sub usu Pustulæ ad 5. diem disquammari incipiebant; & integra sanitas octavo post eruptionem die succedebat.

Die quamvis Critico erumpentes Papulæ Miliares, nullam Criseos, sed præcipuam Symptomatis notam, gesse-

runt; morbo tunc admodùm calamitoso facto.

9. Adolescens, qui à septennio Spinâ ventosâ, fœdè exulceratâ, laboraverat, in Nosocomium demùm susceptus, Diætam lacteam, & Corticem *Peruvianum* spatio bimestri, idque bono cum effectu, adhibuit. At verò ulcere tandem spontè siccato, Febris continua acuta eum aggressa est. A 4. usque ad 9. diem cutis rubebat, ac si expectanda Scarlatina eruptio foret. Die autem ipso nono, Miliaria solitis in locis comparebant; unàque vehemens ac sicca Tussis, quæ eò usque diu noctuque ægrum vexaverat, nunc & mitior, & pulchrè humida reddebatur. Hucusque Exanthema istud, ut Criticam evacuationem, facilè quis salutaret. At verò ad sequentia attentus Symptomaticam audacter pronuntiabit.

Etenim 11. die observabamus, 1°. eam in Pulsu inæqualitatem & intermissionem, ut quandoque, sed sine ordine, per integrum unius pulsationis spatium differret; moxque insolitam repeteret celeritatem; 2°. Nauseam, Vomitumque: 3°. Ulcus, quòd eò usque siccum fuerat, jam fluidum, suoque postmodùm in fluore continuum;

4º. Subitò turbatas urinas, quæ pluribus diebus limpidissimæ fuerant.

Igitur judicium propriè fiebat die undecimo. An integrum? Equidem dubitabam, propter notabilem Pulsuum, in diem 20. usque, intermissionem. Febris tamen acutæ absentia, ac virium reditus, citra aliam, quàm ulceris, evacuationem, judicium perfectum ostenderunt.

Quid igitur intermittens ille Pulsus? Sanè ex eo, & circa Criticum tempus, & cum prægressis quibusdam Coctionis signis, observato, sæpiùs, authore *Solano*, evacuationem Criticam, vomitu aut alvo futuram, prædixi ad ægrorum lectos in Nosocomio; id quod etiam in hoc ægro, eodem undecimo die, exactè confirmabatur. Attamen cæteris octo diebus, cum nulla per vomitum, alvum, Hæmorrhoïdasve evacuatio, Pulsu continuò intermittente, contingeret, experimentum fallere visum est. An quia cocta morbi materies, in corpore superstes, & ratione intermittentis Pulsûs, aut vomitu aut alvo aut Hæmorrhoïdibus eliminanda, ulcere efflu-xerit aperto? Numquid hic Pulsus, si materia per vias à *Solano* indicatas non effluit, etiam ulceris, si adest, fluorem præsagiat?

10. Adoleſcens 17. annorum, ob nimii ponderis geſtationem febricitans, bis ſectâ venâ ad nos adducitur; finiente jam die ſexto, & jam tum in pectore brachiiſque variegatâ, præ rubedine, cute. Crevit peſſimis cum ſignis, & Symptomaticâ maximè alvo, morbus. Die autem 11. alvus pulti ſimilis, ac flava; ſimulque ad pectus maculæ plures, ad nullum certum eruptionis genus ſeſe determinantes, conſpectæ ſunt. Quæque à nucthemeri ſpatio defuerat urina, copioſa nunc illa, & cum Enæoremate fundum brevi petente mittebatur. Febris modica; flava, pultique ſimilis alvus; &, projectus qui fuerat, renatus appetitus. Die 12. perſeverantibus bonis hiſce ſignis, vires majores, lingua nitidior, nox optima fuit. Die 13. veniam per conclave ambulandi, ciboſque tum mutatos, tum copioſiores, rogavit. Die 14. verò juveni per omnia ſano Miliaria alba erumpunt, paucas intra horas iterùm ſicca; eodemque planè modo, ſpatio quinque dierum, continuò renaſcentia, & eodem die exſiccantia ſeſe ac diſquammantia, abſque ullâ vel minimâ labe ſanitatis. Ita ut brevi Noſocomio exiret, conſtantique poſtmodùm ſanitate gauderet.

Maculæ rubræ ad ſextum diem, adeòque per morbi augmentum, adparuêre: Puſtulæ Miliaribus formâ ſimiles, Criſi jam perfectâ, ac ſanitate recuperatâ, efflоruerunt. Criticum ergo neutrum fuit.

11. Malignâ admodùm Febre juvenis decubuit, variolas nunquam paſſus, eaſdemque valdè metuens. Ad ſudores validos eoſdemque continuos corpus, patrio errore, diſpoſuit, quotieſcumque non aderam. Hinc die 5. maculæ rubræ in collo ac manibus viſæ ſunt, mox verò iterùm evanidæ; iridem die ſexto. Poſthac illum, ægrotans ipſe, non vidi. Ab aliis autem reſcivi rubris illis maculis alba Miliaria ſenſim acceſſiſſe, profuſiſſimoſque toto in corpore ſudores. Ad diem 15. totus Miliaribus ſcatens, periit.

Nimio Athmoſpheræ, parvo in cubiculo, calore, coactiſque ſudoribus, utrumque Exanthematum genus genitum eſt; neutrum ſanè criticum.

12. Fæmina 24. annos nata, nono morbi Acuti die ad nos defertur, maculis rubris in collo, facie, pectore, ſummo humero, jam à biduo deturpata, & ab earum eruptione in pejus lapſa. Porrò hoc ipſo 9. die duo obſervaban-

tur: 1°. retrocessio macularum; 2°. intermittens Pulsus cum torminibus ventris, cum Tenesmo, & cum alvo coctâ multâque, ad tertiam usque vicem repetitâ. Mitis exinde illicò Febris.

Judicium factum multa suadebant. Sed insolita admodùm debilitas, post subitaneum macularum retrocessum, maligni quid portendebant. Unde Corticem extemplò dedi. Mox inde recreata bis similem alvum posuit. Die 13. tria visuntur in collo Miliaria, quæ perstant triduò. Die 17. pauca alia accedunt, ut & die 18. 20. 21. Sed, ut dixi, mox à sumpto Cortice mirè recreabatur, subitòque reddebatur sana; ut cum paucis hisce papulis egredi domo, si opus fuisset, potuisset.

Enarratione totâ arguitur rubras maculas, crescente morbo natas, planè Symptomaticas fuisse; Miliaria verò post Crisin quamdam, postque plenarum virium reditum, nata, Criseos certè normam non habere. Fortè prius illud Symptomaticum Exanthema subitò evanescens, viresque prosternens, posthac bonitate Corticis, paucorum formâ Miliarium, efforuit.

13. Vir 27. annorum, sexto Febris continuæ die, Miliaria habet, quæ

nunc plus, nunc minùs extabant, uſque ad 12. diem, quo nova pellucidaque eadem & alba, prodiêre. Continua Febris nunc in remittentem, bis die exacerbantem, abivit. Die autem 16. & 17. æger copioſiſſimis ſcatuit Miliaribus. Febris inde exacerbatio major, vireſque projectiores. Cortex ad 20. diem dari ceptus; cujus ſub uſu Papulæ novæ. Sanitas integra brevi ſequuta eſt.

Prodiêre prima Miliaria cum morbi incremento, imò morbo pohſtac in longè periculoſiorem mutato; poſteriora itidem. Nulla proinde Criſeos ſimilitudo.

14. Eodem tempore mulierem, ulceroſâ ſcabie ſpontè ferè curatam, cæterùm Arthriticis obnoxiam inſultibus, jamque univerſorum penè artuum Rheumatiſmo laborantem, ſuſcepi in Noſocomio. Febris acuta fuit, Puſtulæque nonnullæ rubræ in facie, unaque inſignior ad naſum, aderant. Die 13. rubra Miliaria copioſa prodiêre in facie, collo, brachiis, cruribuſque univerſis; unâ horâ conſpicua admodùm, horâ alterâ vix viſibilia. Die 15. & 16. bene proſtant; 17. adhuc magis; 18. maximè, ſed cum intolerabili Cephalalgiâ.

Die 20. Miliaria ritè quidem proſtant, ſed magna præcordiorum anxietas adeſt. Die 21. & 22. cum copioſiſſimis Miliaribus enormes pedem, quo præcisè olim loco Podagra, excruciant dolores. Die 24. cum Miliaribus & copioſis & magnis, valida Febris. Miliaribus jam in facie ſicceſcentibus ad 27. diem, Febris magna. Decem poſtmodùm dies elapſi ſunt, priuſquam ultimæ Puſtulæ exſiccarentur. Rheumatici dolores, Febre & Exanthemate jam evanidis, diù adhuc perſiſterunt.

Contagium hæc fæmina vel jam habuit, cum ad nos duceretur, Puſtulis in facie rubris tunc jam maculata; vel in Noſocomio, Miliaria ægro mox deſcripto habente, contraxit. Cæterùm nemo, credo, Criticas has eruptiones eſſe autumabit, qui cum iiſdem videt morbi durationem, Febrim validam, judicium imperfectum.

15. Mulier 27. annorum ſextâ die ſuæ continuæ ac putridæ Febris, numeroſas acquiſivit circum labia Puſtulas, ut & die 7. Ad finem autem hujus diei, ſicceſcentibus illis, alba eaque copioſa ſucceſsêre Miliaria ad ſcapulas, humeros, faciem ac demùm brachia univerſa; die 10. ac 11. pulchrè proſtantia;

12. numerosiora ; 13. in toto dorso atque abdomine conspicua. Die autem 14. hæc omnia rubris Miliaribus pluri-mis interspersa, tam in priore, quàm in posteriore corporis parte inveniebantur. Die 15. his cunctis ritè extantibus, valida admodùm Febris cum Cephalalgiâ per integrum diem intolerabili, ægram vexavit. Die 17. ingentes anxietates adsunt. Cum 17. die examinaremus an diuturniore decubitu, licet omnis adhibita cura fuisset, postica corporis haud excoriarentur ; vidimus totum dorsum, lumbos, nates, crura, pedes pedumque digitos confertissimis Miliaribus scatere. Hoc die incipiebant exsiccari ; exsiccatio tota brevi successit, integraque sanitas.

Quia eodem tempore cum binis posterioribus ægris hic decubuit, natum contagione Exanthema facilè credimus; Symptomaticum autem fuisse dies 15. 16. 17. abundè evincunt.

16. Fæmina Petechiis, antequam ad Nosocomium deferreretur, ferè enecta, alterâ die mortua est.

17. Peripneumonicus in Nosocomio casu & neglectu Exanthemata passus, brevi inde curatus, Crisi Peripneumoniæ ritè absolutâ, *Part.* 1. *pag.* 26. *&c.* ut & alibi descriptus fuit.

§ II. Ægri ergo numero ſeptemdecim, ſpatio ſex cum dimidio annorum, Petechias aut Miliaria aut utrumque in Noſocomio practico habuerunt, adeòque quinque circiter omni biennio. Pars media horum Exanthemata, antequam ad me adferrentur, jam habuerunt; pars altera iiſdem in Noſocomio practico correpti ſunt. Ergo inibi ſpatio trium annorum Exanthemata hæc quatuor duntaxat ægris eruperunt. Omnium verò duo tantùm fuêre, quibus id ſpontè contigerit: reliquis quindecim aut contagium, aut parvum regimen, medendive methodus, aut combinatæ hæ cauſæ Exanthemata produxêre. In nemine verò illorum ea Critica fuiſſe, ipſa cujuſque morbi hiſtoria evicit. Ad hiſtorias autem illas quod ſpectat; exactè profectò eas ex majoribus Noſocomii Diariis contrahere valui, quòd in hiſce quidquid ægris noſtris omni die, quâvis horâ, ſingulo momento contingit, exactiſſimè ampliſſimèque adnotetur: unde etiam fit, ut ipſa hæc Diaria baſin ponant dicendorum Medicinæ Studioſis ad ægrorum lectos.

Igitur irrefragabili experientiâ convictus, aſſero nemini meorum critica

hæc Exanthemata fuisse. Imò si nunquam Petechiis Miliaribusve laborantes vidissem, & nudam modò horum 17. ægrorum historiam legissem, quo, ambo! jure criticum id vocarem, quòd sæpè diebus neutiquam criticis, sed admodùm infidis contingat? quòd cum morbo & multùm & diù ingravescente, auctoque proinde periculo, fiat? vel etiam quo erumpente, criticæ evacuationes, in morbis acutis citra Exanthemata consuetæ, eæque sufficientes prodeant?

Hinc concludo 1°. Si in aëre *Viennensi*, in quo Medicinam facio adeò rarissima mihi hæc Exanthemata sunt, ut spatio $6\frac{1}{2}$ annorum vix 17. exempla coram centenis testibus potuerim producere; si præterea plerisque ægris meis, citra Exanthemata, integræ contingant, feliceſque Crises; tunc Exanthemata illa, aliis Medicis adeò frequentissima, Critica utique appellari non posse.

2°. Si iisdem acutis in morbis Exanthemata mihi rarissima sunt, in quibus alii Medici ea frequentissima vident, ea sanè ab aëre, seu nostro, quod vocant climate, neutiquam generari; at verò potius à certis quibusdam causis, quas ad ea generanda ponere soleant illi, ego autem non soleam. Quænam

porrò cauſæ illæ ſint, has in Tract. *de Febr. Diviſ.* ſatis ſuperque, ni fallor, ex pluribus, imò etiam ex celebrioribus *Germaniæ* Autoribus, demonſtravi.

Ut igitur multa paucis dicam, differentia exercendi Praxin tanta eſt, ut differentia in morbis inde neceſſariò generari debeat. Miſtura, *Hofmanniana* Practicis *Germaniæ* dicta, eive ſimilis, nunquam adhuc cuiquam noſtrorum acuto in morbo data fuit. Deinde 2°. pulveres abſorbentes, ſive teſtacei ac præcipitantes, nec non bezoardici & cinabarini, nunquam iiſdem in morbis in Noſocomio præſcribuntur; puerperas, infantes, & præterea ex centenis fortè hinc inde unum alterumve, cui ab acido Febris, excipiatis. 3°. Emetica aut Purgantia nunquam adhuc debui principio Acutorum dare. Ita ut *Hippocrates* Aphor. 1-22. & maximè in *Libro de Purg.* ſive in Fragmento dicto *Heurniano*, rectè monuerit oppidò raros eſſe caſus illos, in quibus aut Emetico aut Purgante, initio Acutorum, uti oporteret. Quam utique doctrinam in *Epidemiorum* Libris, paſſimque alibi, exemplo confirmavit. 4°. In calidâ, non renovatâ, putridis exhalationibus inquinatâ Atmoſphærâ, nun-

quam ægri & includuntur & ferè ſuffocantur, in noſtro Noſocomio.

Unde tam certum mihi videtur, quàm quod certiſſimum, Exanthematum frequentiam à quatuor hiſce cauſis poſitis oriri, ac perennare; & è contrario à Medicinâ *Hippocraticâ* eorumdem obſervari raritatem. Hujus obſervati veritatem partim jam confirmarunt edita, partim brevi confirmabunt edenda in lucem variorum Diaria Noſocomiorum, in quibus demùm Modernorum Hæreſin antiqua *Hippocratis* Medicina pepulerit. Meritò igitur concludere mihi videor, quamdiu Moderni morem obtineant, eos Exanthematum perpetuare crebritatem; eorumque conſcientias graviter oneratas manere, tum eâ majori moleſtiâ, quam ſuis ægris fruſtra faceſſant, tum graviore periculo, in quod conjiciant eoſdem, tum denique multorum ſtrage, quos Exhanthema, deditâ operâ provocatum, quotannis è vivis tollat.

## CAPUT. II.

### DE HYDROPE ET TYMPANITIDE.

§. I. *Viri Hydrops Aſcites cum monſtroſo Omento, cæterâque Abdominis pinguedine mirè degenerante. Varia circa ejus cauſas, & effectus. Obſervatio pertinens ad Hiſtoriam Vomitûs, qui ſecundùm communes Pathologiæ leges inevitabiliter hîc adeſſe debuiſſet, adeſſe tamen haudquaquam potuit.* §. II. *Hydrops fœminæ Cyſticus, Aſciteſque Abdominis; unà cum Hydrope pectoris, & inferioris corporis Intercute. Saccus ex Ovario ipſo, ejuſve Hydatide ortus, ventrem explens ferè univerſum.* §. III. *In aliâ muliere Hydrops, & Cyſticus, & Aſcites: ſaccus autem tam ab Ovario, quàm à toto ſiniſtro uteri latere, natus, in eoque unà cum aquâ aër contentus. Parvus admodùm Thorax; pulmonumque pars notabilis aquæ, in quam injecta, fundum petens. Ad trinos hos caſus impoſſibilitas Pariſinos imitandi oſtenditur.* §. IV. *Oſtendit idem hiſtoria Hydropicæ ex Part. 4. reſumpta, atque in præſentem diem producta.* §. V. *Proſecutio aliûs exempli ex Part. 4. curam Cyſtici tumoris, na-*

*naturâ viam monſtrante, enarrantis.*

§. VI. *Tympania impropriè dici poteſt Aquâ & Aëre gigni; unde Veterum quorundam, id ita affirmantium, mens intelligitur: quamvis eo in caſu alio potiùs, quàm Tympanitidis nomine, morbus inſigniendus eſſet.*

DE hoc argumento fusè egi *Part. 4. Rat. Med. Cap. 3.* variaſque curandi methodos examinavi, ut conſtaret quâ demùm ratione ejuſmodi calamitates ſive percurare nonnunquam, ſive ſaltem tolerabiliores reddere poſſimus. Verùm cum proximè elapſus Academicus annus novas ſuppeditaverit, eaſdemque notabiles admodùm obſervationes, operæ precium erit haſce nunc recenſere, fuſiùſque diſſerere ſuper hâc quæſtione.

§. I. Scriniorum faber 36. annos natus, ſanus perpetuò, vino licet deditus, calidiſſimo die 25. Julii 1759. domicilium mutans, transferendæ ſuppellectili plurimùm occupabatur, gelidam procul dubio plurimam ingurgitans. Nocte inſequente collo lumbiſque dolere, ſimulque tumere ventre cepit. Variis remediis fruſtra uſus, ad *Fratres Miſericordiæ*, menſe Novembri, ſe contulit. Hydrope intra octiduum immensè creſ-

cente, 68. libras medicas aquæ limpidæ, flavæ, utcumque flocculentæ Paracenteſi eduxêre : renato autem ſubito malo, 48. libras, elapſo vix à primâ Paracenteſi octiduo, iterùm evacuarunt.

Ventre hinc egregiè depleto, expertiſſimus hujus Monaſterii Medicus D. *Guarin* minitantem morbi reditum aptis ſemper retudit medicamentis. Interim manifeſtò deprehendebantur in ventre tumores, qui prominentes globos hinc inde referrent. Perpetuoſque ferè & dolores & ardores miſer, ad umbilici regionem, conqueſtus eſt. Unde demùm, collapſis viribus, 13. Dec. periit.

*Fratres Miſericordiæ* Lymphæ 2. aut 3. ut putant, menſuras cavo abdomine eduxêre: cum verè cæterum totum inibi confuſiſſimum cernerent, attulêre mihi exemtam totam quantam viſcerum ventralium molem, cohærentem ita, ut in corpore fuerat. Cujus en publicè factam Anatomen !

Ingens Ventriculus adparuit, Lieni arctè connatus ; Hepar autem mediocre. A fundo autem ampli latique Ventriculi, durum craſſumque ſcutum naſcebatur, univerſum explens abdomen, uſ-

que in latera, imaque pelvis; viscerum proindè omnium conspectum velans, Peritonæo hinc inde connatum. Eodem elevato, intestina nuda patebant, ita ut manifestò constaret ingentem hanc molem degenerans Omentum esse. Accuratiore examine patuit substantiam ejus constare tuberculis innumeris, majoribus, minoribus; hinc omninò informem & inæqualem, lamellis Omenti ambabus intimè connexis constantem. Cartilagineam naturam plura tubercula induerant. Parvumque ita *Winslowo* dictum Omentum pariter degenerans, cum Omento magno, cum gibbo Ventriculo, cum cavâ Hepatis regione, ante sinum venæ Portarum, intimè concreverat. Pondus autem Omenti totius $5\frac{1}{2}$. librarum fuit.

Omnes præterea productiones adiposæ, quæ, totidem Omentulorum instar, ad Colon Rectumque enascuntur, eodem modo degeneraverant; ad Rectum verò adeò, ut inde tota Pelvis repleta cerneretur.

Mesenterium ac Mesocolon iisdem quidem tuberculis scatebant, sed aliter dispositis; ramosis nimirùm, eumque productis in modum, quo in Fodinis vel subterraneis specubus, Stalactica.

Sub duro Omenti tegmine compreſſa locabantur, interque ſeſe ligamentis, facilè tamen dilacerandis, connata Inteſtina. Omnis pinguetudo, quæ tria ad Hepar ligamenta comitari ſolet; omnis ea, quæ Veſicæ felleæ ejuſque ductui circumfuſa cernebatur, nil niſi ſimilem induratam atque globoſam referebat ſubſtantiam. Pylorus intùs bonus, exteriùs tumorem gerebat, qui & durus & ſemicircularis, & plus quàm tres digitos latos craſſus, inventus eſt. Diaphragma totâ ſuâ inferiore facie duros hos ſebaceos tumores, ſemidigitum craſſos, gerebat.

Suſpicaremur ferè calore nimio fuſam Omenti Ventriſque pinguedinem, ſubito frigore, dum veſpere à laboribus quieſcebat homo, ad ventrem externum admiſſo, frigore quoque potus gelidi intrò ſuſcepto, coaluiſſe, induruiſſe, in irreſolubilem hanc maſſam abiviſſe; ſenſimque appulſis humoribus auctam eſſe; atque hinc poſitam demùm, quod in ejuſmodi degenerationibus aſſolet, Hydropis cauſam fuiſſe. Utique dies fuit totiûs æſtatis calidiſſimus, thermometro poſt meridiem, in loco à reflectione radiorum immuni, gradum 90. notante. Si in tanto calore ponderetur

labor, quem vehementem, quem continuum ſuſtinuerit; & conferatur cum obſervatione *Ruiſchii* fuſam à motu pinguedinem in equo deſcribentis, conjectura veriſimilitudinem adipiſcitur.

Nunquam, quod notandum, homo in hoc morbo vomuerat. Attamen, præter alias vomitûs cauſas, irritatio perpetua Ventriculi, tum & Pylorum premens arctanſque moles, vomitum frequentem ac vehementem, ex iteratâ experientiâ anatomicâ, excitare debuiſſent. Verùm in hoc homine Ventriculus & utrinque & toto fundo ſuo, tam duræ, tam craſſæ, tamque ponderoſæ maſſæ adeo intimè adnatus erat, ut videretur, ne à fortiſſimo quidem Emetico, in convulſivos vomendi motus contrahi agitarique potuiſſe. Bilis in Cyſtide copioſa, tenax.

§. II. Mulier 52. ætatis annum agens, adhuc menſtruans, à 12. retrò annis Tuſſi vexata, alvo perpetuò ſegnis, curat ſibi pro conſuetudine maïali venam tundi; ex eoque tempore fluore menſtruo caruit. Brevi poſtea dolorem in Hypogaſtrio quidem toto, ſed ſiniſtro ejus in latere intenſiorem, percepit; ut ultra in illud incumbere nullatenùs poſſet. Crevit ſenſim abdominis moles, ita ta-

men, ut cutis & muſculi ſemper flaccidi manerent, prehendique ac complicari poſſent, præterquam ad umbilicum. Dolorem deinde in dextro Hypochondrio conqueſta eſt, versùs coſtas ac ventriculum ſe extendentem; qui tamen poſthac minùs obſervabatur. Quinque ſeptimanarum ſpatio ventrem ego ſæpè ſollicitè tangens, durâ omnia deprehendi, præcipuè utroque Hypogaſtrii in latere; fluctuationem verò liquoris nunquam. Tandem contigit, ut dum incederet per plateam, acutum ſiniſtrâ in abdominis parte dolorem, cum quodam dilacerationis ſenſu, perciperet. Ex illo die manifeſta humorum undulatio ab utroque umbilici latere, in Epigaſtrio potiſſimùm, percepta eſt. Jamque integumenta & muſculi abdominis, olim adeo flaccidi, vehementer tenſi expanſique obſervabantur. Ventris crurumque Hydrops intercus hiſce ſe junxit.

Qui Cyſticus olim Hydrops fuerat, eum nunc, dilacerato ſacco, Aſciten produxiſſe rati, ad Paracenteſin devenimus, aperturâ ſolito altiùs factâ; quia infra, nulla undulatio, ſed magna potiùs durities. Unde nobis videbatur calloſus craſſuſque ſaccus, licet infirmiore quâ-

dam plagâ crepuiſſet, multiſque eſſet evacuatus aquis; tamen durâ ſuâ mole, lymphâ fortè multâ adhuc circa ejus fundum exiſtente, hanc efficere Hypogaſtrii duritiem.

Paracenteſis 7. Nov. 1759. inſtituta, 22. propemodùm libras medicas fuſci, turbidi, ſpiſſi, liquoris eduxit. Ventre inde plurimùm evacuato, fœmina veluti reviviſcere tridui ſpatio viſa eſt. Verùm brevi adeò tempore liquor undulans recrevit, ut propter anxietates auctas, ſuffocatamque reſpirationem, cogeremur 31. Nov. repetere Paracenteſin: quâ tamen haud ultra 16. libras educere potuimus.

Vix inde perceptum ſolamen, quòd anxietatum alia longè, quàm olim, ſe cauſa prodiderit. Decubitus in dextrum latus commodior, ſubita à primo ſomno excitatio, & ſuffocans eo tempore anxietas, Hydropem dextri Thoracis lateris innuerunt. Ita tamen, ut ſiniſter Thorax haud omninò ab aquis videretur eſſe immunis: diutiùs enim in dextrum latus jacentem ſuborta nonnunquam nova anxietas in ſiniſtrum latus convertit.

Diuretica cujuſcunque generis, &

ante & inter & poſt Paracenteſes, etiam varia Purgantia nullam opem tulerunt. Exigua alvus, & pauca atque lateritia dicta urina, tantùm prodierunt. Conamina noſtra ad aquas, exulceratis aut ſcarificatis cruribus, educendas, palliarunt quidem aliquantiſper; Symptomata autem non abſtulerunt. Ad 15. Jan. 1760. obiit.

Cadaveris venter validè fuit æquabiliterque tenſus. Aperto prudenter Peritonæo, corpus ingens, fuſcum, durum, totum quantum explebat abdomen, ab imâ pelvi, ad uſque Lienem & Hepar. Idem illud, variis in locis, expanſionibus firmis, membranoſis & adipoſis, cum Peritonæo concreverat, præſertim circa umbilicum, & in eâdem cum umbilico latitudine, ſiniſtro in latere; idque tranſverſim, latitudine quatuor digitorum: deinde & per tres quatuorve digitos deorsùm, ut cum primâ tranſversâ adhæſione angulum ferè rectum componeret; etiamque hinc inde ad latus dextrum.

Examine eo uſque producto patuit vel Ovarium dextrum eſſe, vel ex Ovario Hydatidem natam, quæ totam hanc expanſam molem produxerat; intùs ple-

nam ſubrubrâ aquâ, quæ 24. libras ponderabat, quæque igni impoſita, in ſciſſilem abibat materiem. Saccus porrò totus facie ſuâ internâ mirè exulceratus, & hinc tuberculis, ſeu ſebaceis, illinc ichoroſis, iterùmque alibi cartilagineis, aut etiam ſanioſis plenus.

Quod vel Ovarium, vel ex eo natam Hydatida, hunc ſaccum formare dixerim, id ideò dixi, quòd ambigui hæſerimus utrùm corpus quoddam, quod ad ſacci radicem inveniebamus, Ovarium ipſum, an verò ſeparatus parvus ſaccus eſſet? Siniſtrum Ovarium in varios degeneraverat tumores. Uterus mutatus fuerat in duram ſubſtantiam, eamque carnoſam & difficulter perſcindendam; craſſam adeò, ut vix in utero cavitas, niſi propè ejus orificium, ſupereſſet.

Univerſa penè Inteſtinorum moles versùs lienem truſa erat. Ventriculus pro more ingens; cum is, compreſſis adeò inteſtinis, vehementer diſtendi inflarique ſoleat.

In Thoracis cavo dextro rubicundior adhuc aqua, quàm ea, quæ in magno ſacco hæſerat, ad trium librarum pondus inerat; verùm non, ut illa, in duram maſſam ad ignem mutabatur; paucâ namque pelliculâ ſuperſtite evapora-

batur tota. In ſiniſtrâ Thoracis camerâ, in quâ aliquam, ſed copiâ minorem aquam, vivente fœminâ, ſuſpicati eramus, nulla aqua inventa eſt. Pulmo lateris dextri vix mediam ejus altitudinem occupans, adparuit condenſatus, ac veluti ad ignem criſpatus. Idemque inferiore ſuâ totâ mediâ parte, dum in aquam conjiceretur, ejus fundum petebat; innatabat verò ſuperiore. Interna pulmonis ſubſtantia ſat bona, ſed lata ejus in dorſo cum Pleurâ cohæſio.

Tota ſuperficies inferior Pulmonis, Pleura, Diaphragma, Mediaſtinum, id eſt, quævis partes aquæ contiguæ, plenæ fuêre tuberculis variæ magnitudinis, ſemiſcirrhoſis, purulentiſve, aut ſanioſis. Lien quadrifariam, profundâque inciſione dentatus, durus; Hepar albeſcens & compactum. Veſiculæ bilis profundiſſimè tinctæ copia duas pondere uncias ſuperabat: ineratque Veſiculæ calculus, quadrangulus ferè, trium linearum diagonalem habens, ſpiculis innumeris, ac parvis ſplendidiſque lapillis concretus, exuſto carboni rudiore adſpectu haud abſimilis. Nulla ſeri in Encephalo redundantia, & quæ pauca aderat Ventriculorum anteriorum lympha, ad ignem non coaluit.

Ex hiſtoriâ morbi & ſectione cadaveris, id videtur colligi oportere, quod mulier iſta primùm Hydropem Cyſticum paſſa fuerit; quod deinde ſaccus parvâ quadâm in plagâ crepuerit, & Aſciten effuſis produxerit aquis; deinde quod Parecenteſes aquas Aſcitis duntaxat eduxerint; præterea quod lapſu temporis concidentis ſacci apertura, cujus veſtigium invenire non potuimus, conſolidata fuerit; ſicque regenerata aqua ſit, quæ ſaccum in eam, quam in cadavere deteximus, extenderit molem. Probabileque admodùm eam ſacci craſſitiem impediviſſe, ut vel morbi principio, vel ſub finem ejuſdem, undulantem perciperemus Lympham. An ideò, quòd fœmina à 12. retrò annis ſiccâ eâque validâ tuſſi laboraſſet, Hydrops Thoracis eo, qui abdominis, longè annoſior? Nunquid, quòd poſteriore anno menſes adeò irregulares ac paucos habuerit, & tamen Plethorica exiſteret, uterinum ſyſtema obſtructum atque induratum habere ceperit?

§. III. Sub idem tempus aliam Quinquagenariam ſuſcepi, quæ bonâ ſemper, ut aïebat, valetudine uſa; niſi quòd Febre intermittente, ſeu quotidianâ, ſeu tertianâ laborare conſueviſſet. Quas

quidem Febres largiore vini potu, quem impensè amabat, ſemper ſe diſpuliſſe aſſeverabat. Catamenia tardè incepta, maturiùs finita, pauca perpetuò & irregularia habuit. Quinquennium elapſum eſſe aïebat, ex quo ſemel urinam mittere, præ adſtantium verecundiâ virorum, impediretur: elapſis aliquot deinceps horis, ſe ventre doluiſſe, urinam verò, quum mittere geſtiret, nullatenùs mittere potuiſſe: fomento tamen ad Hypogaſtrium veſpere adhibito, paucas reddidiſſe guttulas: remediiſque poſterâ die à Medico acceptis, iterùm guttatim eam prodiiſſe; poſtea autem ſenſim abdominis tum tumorem tum dolorem ſe percepiſſe. Adjungebat porrò, elapſo ab illinc menſe, ſe, vehementer ſitientem, copiam gelidæ immenſam hauſiſſe; cumque totâ inſequente hyeme admodùm ſiticuloſa foret, plurimùm bibendi neceſſitati parere ſe debuiſſe; nec unquam niſi ſtranguriosè reddere potuiſſe urinam.

Porrò ventris mole creſcentis extenſionem, eò uſque æqualem, ut aït, perceperat; cum verò plurimorum Medicorum opem fruſtra eſſet integro triennio experta, & tandem Decoctum Juniperi diu aſſatimque hauſiſſet, ventrem quidem multùm concediſſe; ſed etiam

admodùm inæqualem tactu figurâque redditum esse deprehendebat. Relicto autem eo Decocto, advertit antiquam ventri molem, antiquam rediisse æquabilitatem.

Ex hâc sæpè repetitâ, eodemque semper modo enarratâ ac confirmatâ Anamnesi, concluſimus Cysticum Hydropem adesse; cujusnam viscеris incerti quidem, probabiliter tamen obstructione systematis uterini natum; eique demùm Asciten junctum esse. Quippe Cătameniorum modus hoc ipsum systema dudùm laborasse indicaverat nobis: annosusque vini abusus, frequentiores quoque narium Hæmorrhagiæ ad causam Proegumenam accedentes, morbum præsentem gignere potuisse nobis videbantur; ita tamen, ut continuus aquæ abusus eumdem vehementer auxisset.

Urinosusne Hydrops forsan non fuerit si quis suspicetur, respondeo Hydropem urinosum celeriter perimere; hunc verò jam integro perstitisse quinquennio. Sed præterea Hydropis causæ pridem in corpore extitêre, antequam urinæ retentio nasceretur.

Decoctum Juniperi multam sanè Ascitis lympham Diuresi eliminavit, quum venter ita detumesceret; sed Ascite eva-

nido Cysticus Hydrops cum omnibus suis tumorum inæqualitatibus eò manifestior adparuit. Confirmavit hanc Phænomenis hujus explicationem, ventris renato Ascite, æquabilitas.

6. Nov. 1759. Paracentesi eduximus 56. libras liquoris, qui fuscus, atque instar potûs Chocoladæ spissus deprehensus fuit, integrâque septimanâ asservatus non fœtuit; igni autem à principio eductionis impositus, paucâ suî massâ coagulabatur, plurimâ suî parte in auras evanuit. Principio, ut fit, ab operatione recreata, viribus solito citiùs decrevit, perpetuisque tum anxietate tum pertinaci diuturnoque singultu, 19. ejusdem mensis obiit.

Venter monstrosè inflatus; Musculi abdominales tenuatissimi; Peritonæum denso cum sacco, in cavo ventre contento, hinc accretum, illinc liberum. Sacco levi vulnere pertuso, mox venter, flatu sibiloso erumpente, multùm detumuit.

Saccus ex imâ Pelvi supra umbilicum, ac per totam ventris latitudinem adscendens, fundo suo terminabatur latis circiter quatuor digitis infra cartilaginem Xyphoideam. Omentum supra saccum sub Hepate locabatur, & hinc inde

ad ejuſdem lobi majoris crepidinem, tum & ad totius ſacci fundum adhærebat, & connatum erat. Thorax minimus fuit; nam Hepar tam altè ſub coſtis recondebatur, ut gibbo ſuo ultra tertiam (ducto à ſuperioribus numero) adſcenderet; eodemque modo Diaphragma medio ſuî. Celluloſitate quidem facilè dilacerandâ ſaccus pluribus in locis cum Peritonæo connexum; ad latera verò & in Ilibus, ligamentoſis productionibus, non niſi cultro ſeparandis, cohæſit. Origo ejus ab Ovario ſiniſtro, totâque uteri ſiniſtrâ parte; fundi ſui poſticâ plagâ cum inteſtinis tenuibus unitus ope ligamentorum membranoſorum, non tenacium, ſed digito facilè ſolvendorum. Tenuia inteſtina omnia ferè in Epigaſtrio ſiniſtro convoluta: ſuo Colon loco. Jamque in inguine dextro, iiſque cunctis in locis ubi ſaccus à cohæſione cum Peritonæo liber, ac toto abdominis cavo, Aſcites erat. Aqua Aſcitis minimè fœtens; ea autem ſacci fuſca & fœtida fuit. Ipſe autem ſaccus inæqualiter craſſus, intùs tuberoſus, ſanioſus, ſemipurulentus totâ ſuâ interná ſubſtantiâ. Aër, qui ſibilo exiverat, ad anteriora ſacci locatus fuiſſe videtur, hincque, facto vulnere, exitui aptus.

Subſtantia ſacci hîc ſemilineæ, ibi lineæ, alibi 2. 3. linearum; in latere verò ſiniſtro, digiti, imò pollicis craſſitudinem inæqualem ac tuberoſam habebat.

Circa uterum nihil non confuſum. Examine tamen patienter inſtituto, patuit Ovarium ipſum, dum extendi inciperet, cum laterali uteri ſuperficie cohæſiſſe; Tubam Fallopianam implicuiſſe ſibi, eamdemque ad ſeſqui ſpithamæ longitudinem extenſam, ſecum duxiſſe; ſic demùm occupaſſe ventrem ferè totum. Habebatque ad ſuam originem appendiculum aquâ ſimiliter repletum. Dextrum Ovarium diametri ſeſqui pollicis, lymphâ gelatinosâ repletum erat.

Igitur Paracenteſi eductus fuit liquor turbidus, non fœtidus, in cavo abdominis Aſciten faciens; qualis etiam à morte ibidem deprehendebatur. Liberè enim effluere ſub Paracenteſi potuit è locis à cohæſione cum Peritonæo liberis. Hincque factum ut, etiam in vivente, undulatio perciperetur aquarum.

Docent porrò hi tres caſus, me, *Part. 4. Rat. Med. cap. 3.* haud immeritò aliquas, eaſdemque haud leves, adnotaſſe difficultates, in exſequendo erudit. *Pariſ. Chirurgorum* ſyſtemate, quo ſta-

tuerant, eductis Paracenteſi aquis, vulnus inſigniter dilatandum eſſe, apertumque ſervandum; ut & omnis poſthac renaſcens liquor, abdomen alioquin iterùm extenſurus, inde extillaret perpetuò; & ſaccus ita conſideret, complanaretur, convolutuſque concreſceret, ut deinceps ultra extendi nunquam poſſet.

In primâ enim hiſtoriâ Hydrops renaſcens præcaveri quidem potuiſſet, latâ ſervatâ ventris aperturâ; ſed Omentum ita monſtroſum non modo inde mutatum non fuiſſet, ſed aëris allapſu in Sphacelum dirum, ſubjecta ſibi omnia deſtruentem, abiviſſet.

In hiſtoriâ ſecundâ & tertiâ ſaccus in Paracenteſi perſciſſus non fuit; perſcindendus ergo fuiſſet. Ecquis verò pollicis fortè denſitatem offendens, neſcius proinde quid fortè perſcinderet, cultro penetrare auſus fuiſſet? Haud enim id in vitâ, ut quidem in cadavere, illicò pateſcit. Nec concidiſſet ſaccus, ſuſtentaculis quippe & adhæſionibus validioribus cum Peritonæo cohærens. Quid verò in ſubſtantiâ ulcerosâ, ſcirrhosâ, ſaniosâ, adeo craſsâ, vulnus effeciſſet? Quid demùm aër? Dira certe Carcinomata, quæ mutuus binorum pendentis

ſacci laterum affrictus auxiſſet vehementer. Quodſi demus aperturam fortè in tenuiore ſacci ſubſtantiâ, ut latis in plagis anteriùs poſteriùſque erat, penetraturam fuiſſe; quid inde non timendum ab Inteſtinis? Compreſſa hæc olim, jamque libertatem nacta, & flatibus diſtenta, aut colicis expanſa doloribus, versùs locum minimè reſiſtentem ſaccum, ſeu ejus parietem poſteriorem protrudere, extrudere, & ventrem extra ventrem, monſtroſamque formare Herniam potuiſſent. Mitto nunc quæ de degeneraſcente Ovario exſcindendo, etiam ab iiſdem claris viris propoſito *Part. 4.* dixi. Utique in tertio hoc exemplo patuit Ovaria, dum extendunt ſeſe, quandoque utero primùm adplicari, eidemque arctiſſimè uniri: Ovarii proinde extirpationem majoribus difficultatibus premi, quàm quidem Theoretica ejuſdem contemplatio ſuggeſſiſſet.

§. IV. Proſecutio hiſtoriæ mulieris, de de quâ *Part. 4. cap. 3. pag. 54. & ſeq.* difficultates confirmat eaſdem. Sic enim res nunc cum illâ ſe habet. Tumor abdominis poſt Paracenteſin ſemper recreverat, undulans nunquam. Hydragoga vitam, hyeme præcendenti bonâque veris parte, tolerabilem ipſi reddiderant. Maii verò 10. proximè elapſo, motum

exercens validum, ponduſque elevans, crepitum in ventre percepit, veluti quid intùs ſibi dilaceraretur, ſimulque ſubitum ventris incrementum. Fluctuationem nunc manifeſtam iterùm deprehendebamus.

Ut anno præterito, præter Cyſticum tumorem, habuerat Aſciten, Paracenteſi eductum; ita etiam nunc, vel ſacco ipſo vi lacerato, ut in hiſtoriâ ſecundâ, vel alio tumore Hydatico rupto, Aſciten adeſſe rati, 14. Maii Paracenteſi eduximus libr. 20. liquoris turbidi, fuſci, tenacis, haud fœtentis, vix imminutâ abdominis mole. Unde potiùs alterum à primario ſacco diſruptum eâ vi fuiſſe credimus, cum primarius ille, intra octiduum à perceptâ dilaceratione, æquè magnus extenſuſque, quàm olim deprehenderetur. Liquor eductus ſeceſſit in gelatum, quod lumini admotum pellucet, & in liquorem fuſcum, ferè limpidum, qui ad ignem omninò coagulatur. Toto eo tempore notavimus ejus urinas nunquam habuiſſe lateritium ſedimen, ut aliàs id hominum genus habet; ſed tale, quod à bonâ in acutis Hypoſtaſi haud facilè interſtinguas.

Poſt hanc Paracenteſin, aliud quid, præter deſcriptam formam extenſionem;

que, venter notandum exhibuit. Circumscriptus quippe tumor ab Hypogastrio, ad umbilicum & ultra extensus, durusque idem, atque ovalis, deprehenditur; haud sanè aliter, ac si ultimam graviditatis metam attingeret. Maritata cum sit, graviditatis datur, unà cum Hydrope tum Cystico tum Ascite, possibilitas. Id verò incertum. Casus famosus *Drelincurtii*, cui similem etiam *Part. 4.* descripsi, abundè evincit uterum posse, dum privato turget Hydrope, simulare graviditatem. Tempori utique hoc concedendum. Interim præter alias sufficientes rationes haud imitandi *Parisinos*, nova hæc nobis, eaque urgens sanè ratio saccum haud aperiundi, sistebatur.

Dies interim docuit diem. Elapsis nunc ferè quinque mensibus, dum hæc sub prœlo sudant, ex quo subdubitare cepimus, mutatio figuræ incrementumque abdominis planè arguunt personatam graviditatem fuisse. Quamvis igitur graviditatis metus haud existat ultra, subsistunt tamen graves aliæ rationes abstinendi à curâ propositâ.

§. V. Anno proximè præterito, innueram casus nonnunquam dari, ubi id ipsa per sese natura facit, quod in pro-

positâ methodo & difficile deprehenderamus, & periculosum, & sæpe impossibile. Videatur hist. mulieris *Part. 4. cap. 3. pag.* 71. & 72. quæ scilicet in graviditate, præcipuèque deinde à partu, ab umbilici dextro latere tumorem gerebat, qui manifestam puris, arctiore spatio contenti, fluctuationem exhibens, aperiebatur; pusque copiosum per multos dies fundebat, cum imminutâ duritie, & cæteris bonis inde sequentibus signis. Quandiu potuimus, locum in illâ servavimus apertum, quia purulentus saccus Peritonæo accretus esse detegebatur, nec admodum magnus ille, ut stylo flexili & incurvo patebat. Mense Octob. & Nov. 1759. vulnus sponte coëuns, aliquoties dilatavimus, eo quod superstitem duritiem deprehenderemus. A partu, qui ineunte Junio contigerat, defuerant menses; finiente verò Octobri, redière; ex eoque gravida facta, mense Augusti 1760. feliciter peperit. Locus affectus sine ullâ duritie relictâ aut tumore, coivit. In ejusmodi casibus verum illud Manilii: *Artem experientia fecit, naturâ monstrante viam*: præter naturam magistram, res semper periculosæ admodùm aleæ.

§. VI. Antequam hoc caput finiam,

unum monendum habeo. *Part. 2. & 4.* de Tympaniâ agens, in eorum ſententiam abivi, qui aëri ſoli, eique inteſtinis cavis contento, adſcribant eamdem. Quippe capta in cadaveribus experimenta, præter *Dureti & Littræi* aliorumque auctoritatem, eò me adduxerant. Hiſtoria tamen tertia hujus Capitis, pag. 244. demonſtravit poſſe ex putrido liquore aëra in ſacco gigni, pertuſoque ſacco exire ſibilando. Ergo ſi Veterum nonnulli ſimile quidpiam fortè obſervantes, Tympanitidem dixerint aquâ & aëre gigni, hancque partim aëream, partim aquoſam, haudquaquam in Inteſtinorum cavo, ſed in ventre contineri, non eſt quod obloquar. Verùm enim verò nec in vitâ, nec in cadavere, hic, de quo agimus, morbus, ipſo Tympanias nomine recenſendus venit, ſi totam ejus hiſtoriam attentè pervolvamus. Utique nulla in eo Hydropis ſicci ſigna.

# CAPUT III.

## DE HYDROPE PECTORIS.

§. I. *Signa & Symptomata morbi ex* Hipp. *Sequentium ævorum Scriptores parùm aut nihil ejus meminerunt.* §. II. *Sæculo autem XVIII. ut & præsenti, plures de eo ex professo egerunt.* §. III. *Diagnosis & curatio ex autoribus formantur. Eâ occasione Paracentesis tum in genere, tum ea Thoracis in specie examinatur, ac remediis cæteris præstantior declaratur. Inquisitio fit quibusnam, & quandonam prosit.* §. IV. *Examen Evacuationum in Hydropicis per Cauteria, Scarificationes, Vesicantia, &c. & quâ lege usui venire queant.* §. V. *Problema proponitur cur laudata in Hydrope pectoris Paracentesis adeò rarò instituta fuerit, adeò rarò adhucdum instituatur? Responsum petitur ab inchoantis morbi incertitudine, & à rebus ejus, dum probè cognoscitur, conclamatis.* §. VI. *Fallacis morbi historia practica traditur, quâ dicta probentur. Incertitudo signorum ejus probatur historiâ Hydropicæ, multisque aliis practicis exemplis. Confir-*

*matur ulteriùs aliâ hiſtoriâ notabili, & ſectione anatomicâ. Concluſio medica.*

§. I. FOEMINA, de quâ Cap. proximè ſuperiore pag. 235. actum, præter Hydropem Cyſticum & Aſciten, Pectoris quoque Hydropem habuit. Hunc, vivente eâ, dudùm ſuſpicati eramus, ut ibidem innui. Attamen quæ ſigna Pathognomica morbi vocari ſolent, non aderant omnia; & quæ etiam in eâdem Hydropem ſiniſtræ thoracis cameræ indicare videbantur, nos planè fefellêre. Fallacem ſanè morbum plura nobis experimenta jam evicerant; ita ut eum incertiſſimorum morborum in claſſe locari oportere, cum Auditoribus meis ſæpiùs doluerim. Quum tamen adeò & frequens morbus ſit, & difficulter cognoſcendus, operæ precium erit eum ab incunabulis repetere, adeòque examen inſtituere quorumvis ſignorum, quibus cujuſque ævi Scriptores Medici illum nobis depinxerint, cognoſcendumque, ut indubiè præſentem, dederint. Inquiram deinde num incipientis morbi ſigna propiora artis uſus fortè non ſuggerat? Ex omnibus practicas regulas deducere conabor.

Ad ſigna morbi tum communia, tum Pathognomica examinanda, ab *Hippocrate* ordiri convenit. *Lib. 2. de Morb.* pag. apud *Foës.* 483. Tom. 1. apud *Charter.* Tom. 7. pag. 575. vocatur morbus Υστερος πλεύμονος. " Si Hyderos, " inquit, in pulmone naſcitur, Febris " & Tuſſis vexant; confertim reſpirat; " pedes intumeſcunt; ungues omnes " contrahuntur; & iiſdem, quibus " ſuppuratus, afficitur; verùm remiſ- " ſiùs ac diutiùs. Quod ſi Infuſum, aut " Fomentum, aut Suffitum adhibeas, " pus non ſequitur; indeque cognove- " ris non pus, ſed aquam intus eſſe. " At ſi diutiùs aure ad latera admotâ " auſcultaveris, intrinſecùs velut ace- " tum olet. Et aliquandiu his afficitur, " ſed poſtea in ventrem erumpit: con- " feſtimque ſanus & morbo liberatus " eſſe videtur. Verùm procedente tem- " pore venter incenditur, eademque " illa & graviora patitur. Quibuſdam " etiam venter, & ſcrotum, & facies " intumeſcit. Et nonnulli iſtud ab infe- " riore alvo provenire exiſtimant, cum " ventrem magnum & pedes tumere " videant. Quæ certè intumeſcunt, " ἢν ὑπερβαλλῃς τὸν καιρὸν τῆς τομῆς, ſi

» sectionis tempus oportunum præter-
» videris.

*Libr. de Aff. int.* apud *Foës.* Tom. 1. pag. 544. & 545. apud *Charter.* Tom. 7. pag. 655. 656. morbi descriptionem & curationem eodem modo, sed fusiùs, prosequitur. « Hic Hydrops, ait, ex
» his oritur. Quum æstatis tempore, siti
» premente, copiosam aquam biberis,
» quandoquidem inde maximè gigni
» solet, & pulmo expletus fuerit, rur-
» sùm in pectus dimittit. Quumque in
» pectore extiterit, vehementem ardo-
» rem excitat, ita ut pinguedinem, quæ
» in arteriis inest, liquefaciat. At si se-
» mel pinguedo multò magis liquefieri
» ceperit, Hydropem brevi efficit. Gi-
» gnitur etiam, ubi tubercula, φύματα,
» in pulmone exorta fuerint, eaque
» aquâ repleta in pectus eruperint.
» Quod etiam à tuberculis oriatur Hy-
» drops, mihi argumento sunt Boves,
» & Canes, & Sues. In his enim Qua-
» drupedibus maximè pulmonis tuber-
» cula oriuntur, quæ aquam continent.
» Sectione namque factâ, id illicò co-
» gnosces; aqua quippe effluit. Talia
» autem multò magis in homine, quàm
» in pecoribus fieri videntur, quantò

» morboſa magis etiam victûs ratione
» utimur. Plerique verò, exortis tuber-
» culis, purulenti etiam extiterunt.

» Hæc igitur per initia oboriuntur
» morbo: tuſſis ſicca, & fauces exaſpe-
» rari videntur, & rigor & febris ſuc-
» cedit, & Orthopnœa; cutis totiûs
» corporis tumeſit, tument pedes, un-
» gues contrahuntur; & quandiu qui-
» dem in ſuperiore ventre Hyderus ex-
» titerit, extat acutus dolor: cum verò
» ad inferiorem ventrem devenerit,
» melius habere videtur: deindè pro-
» grediente tempore impleto ventre,
» ea, quæ priùs, patitur. Interdum ve-
» rò ad latus tumeſcit, & quâ parte ſe-
» candum ſit, indicat. Quod ſi non in-
» dicet, multâ calidâ lotum, humeris
» comprehenſum, concutito; deinde
» quoniam in latere materia magis fluc-
» tuat, auſculato.

*Hippocrates* igitur cauſam Hydropis Pectoris deducit 1°. ab aquæ potu, & nimio, & celeriter ingurgitato; 2°. à ruptis pulmonum tuberculis, (Hydatidibus) quæ, ſi versùs externam pulmonum ſuperficiem perrumpuntur, ſuam utique lympham in cavum thoracis effundunt.

Morbi ſigna & ſymptomata ait

1°. Tussim siccam, 2°. Faucium raucedinem; 3°. Rigorem; 4°. Febrim; 5°. Respirationem citiorem; 6°. Orthopnœam; 7°. Totius corporis, pedumque præsertim Hydropem intercutem, seu ἀνάσαρκα; 8°. Thoracis dolorem; 9°. Hydropem ventris, cum remissione omnium symptomatum, quum pectus ad tempus evacuetur; 10°. Recrescente pectoris lymphâ, quòd ejus sit scaturigo perennis, tunc Ascitem ultra non levare morbum pectoris; 11°. Unguium curvationem, qualis fieri solet suppuratis. Addit & alia suppuratorum signa, quæ mitiùs tamen ait, & diutiùs ipsis evenire. 12°. Absentiam sputi purulenti, etiamsi medela ad sputum provocandum adhibita sit.

Symptomatum horum plura etiam signa vera morbi sunt, sed addit *Hippocrates* aliud quid. Hominem nempe in sedili collocatum humeris validè concutit movetque; ut sic aure mox ad latus admotâ, undulantem percipiat aquam. Addit pro alio signo, *Lib.* 2. *de Morb.* quod eadem pectoris aqua, dum sic aurem pectori admoveris, veluti acetum olet.

Errorne aliquis hic exemplariorum? *Foësius*, & *Charterius*, & *Lindanus*,

hîc legunt ὄζει, *Cornarius* vero ζέει, nempè, *fervet*. Juxta hoc exemplar ſenſus bonus eſt, non verò lectione aliâ. Nunquid enim *Hippocrates* juberet non nares, ſed *aurem* pectori admovere, ut odorem aceti perciperemus? Sed ſi *fervere* intellexit, tunc aurem admovere oportunè præcipit.

Cum magnus *Hippocrates*, adeo in ceteris Laconicus, judicaverit hunc morbum adeò fusè deſcribi oportere, expectare quis poſſet *Galenum*, *Cælium Aurelianum*, *Aretæum*, poſteriorumque ævorum Scriptores, & fuſos & perſpicuos eſſe, cum de eodem agunt. Sed nihil minus. Plures in tranſitu meminêre illius; nonnulli ne meminerunt quidem. Quo quid in obvio adeò morbo mirabilius? *Platerus*, *Hollerius*, *Goræus*, *Capivaccius*, *Hier. Mercatus*, *Salius Diverſus*, *Jacotius*, *Ballonius*, *Duretus*, &c. obiter modò de Hydrope pectoris locuti ſunt, eorumque, quæ adeò fusè *Hippocrates*, ſignorum pauca modò raptim tetigerunt: unde concludere nos cogunt morbum ipſis minùs in viventibus ægris, quàm in denatorum cadaveribus, patuiſſe. Idemque judicium ſit de *Cardano*, *Coïtero*, *Donato*, *Cratone à Craftheim*, *Caſparo Bauhino*,

& reliquis omnibus, ex quibus optimus *Schinckius* utiliſſimas ſuas adornavit collectiones.

§. II. Ineunte autem Sæculo XVII. tres magni in arte Viri ſimul hoc argumentum pro aliquâ ejus dignitate tractarunt. *Proſper Martianus*, Romæ; *Carolus Piſo*, Nanceii; *Daniel Sennertus*, Wittenbergæ. Paulò poſt etiam *Lazarius Riverius* utcunque fusè de eodem egit. *J. B. Helmontius*, quamvis de eo parùm habet, in Tractatu tamen, qui vocatur *Ignotus Hydrops*, & morbum in ægri vitâ præſentem cognoviſſe, & in cadavere demonſtraſſe videtur. Poſt illum *Sylvius de le Boe*, & cum *Lowero Williſius*, ex profeſſo de eodem egêre. Plures tamen poſt illos, ut *Junken*, *Etmuller*, &c. ſolo vix nomine morbum recenſuerunt. Egregius *Werferus* Libr. de *Affect. Cap. Obſ. 60.* anatome potiùs illum, quàm ægro vivente, cognoviſſe videtur: cumque ipſemet hoc morbo laboraſſe poſt mortem inveniretur, minùs tamen id credidiſſe legitur apud *Brunnerum*, eo quod urinam egregiè redderet, matutiniſque gauderet ſudoribus. *Wratislavienſes N. C. Medici* ad Ephemeridas ſuas ann. 1699.—1702. Tractatum de Hydrope Pectoris adjece-

runt, in quo ejuſdem cauſas, ſigna curamque eruditè tractant. Exinde *Academiæ N. C. Pariſ. Lond. Edimb.* varia ejus dedêre exempla. Immortalis *Boerhaave* Cap. de *Hydrope* §. 1219. Hydropem hunc deſcribit Empyemati multis ſignis ſimilem, ſolâ cauſæ antecedentis obſervatione ab illo diſcriminandum. Nobiliſſ. Ruſſiæ Archiater *de Gorter*, in *Med. Comp. Tract.* 35. morbum obſcuriſſimum vocat, ejuſque ſigna ex *Hipp. Piſone*, *Sennerto*, tradit.

§. III. Porrò ſi ex quibuſcunque recenſitis hiſcè Autoribus cauſas, ſigna tam communia quàm Pathognomica, Diagnoſin quoque & curam diligenter colligamus, notanda ſequentia invenimus.

1°. In cauſarum enumeratione paſſim conveniunt omnes. Cauſas enim Hydropis generales recenſent, quæ vel in aliis corporis plagis Hydropem primò conciliant, deinde pectori; vel pectori primùm, deinde reliquo corpori; vel denique pectori ſoli. Cauſas præterea peculiares quaſdam nonnulli addidêre: v. g. maturiorem vulneris in thorace curationem, rupturam ductûs chyliferi, diruptionem hydropici pericardii,

vaſorum in oſſeam ſubſtantiam degenerationes, &c.

2°. Signa morbi multi haud alia enumerant, quàm quæ *Hippocrates*; nonnulli verò ſingularia dedêre, quæ vel Pathognomica, vel illis ſaltem proxima appellarunt: v. g. ſubitaneam primâ nocte excitationem, cum intentatâ ferè ſuffocatione; alterutrius, vel utriuſque manûs ſive Paralyſin, ſive Œdema; hypochondriorum tumorem; Pulſum debilem, tardum, inæqualem, haud rarò intermittentem; fœtentem animam; urinam paucam, craſſam, & brevi ante fata ex atro rubentem, cum furfuraceo aut lateritio ſedimine.

3°. In Diagnoſi multi graveſque Viri, difficilem, obſcurum, ambiguum morbum eſſe fatentur: varii è contrario tanquam communi omnium more propriis ex ſignis cognoſcendum, atque ab aliis inſterſtinguendum eum deſcribunt.

4°. Curam ejus varii, vario admodum modo, auſpicati ſunt: *Hippocrates*, textibus ex *Libr.* 2. *de Morb.* & *Lib. de Aff.* ſupra recenſitis, « Hunc » quidem, ait, ſi exteriore parte intu» meſcit, inter coſtas ſectione factâ, » curare oportet. Sin verò minimè in-

» tumuerit, etiam multâ calidâ lotum
» tunc, veluti purulentos, in ſellâ col-
» locato, & quâ parte ſtrepitum edet,
» eâ ſecato: tertiam ab ultimâ coſtam
» ad os uſque ſecato: deinde terebrâ
» acutâ ulteriùs perforato: votumque
» eſt, quò ſanè facilè effluat, ut quàm
» infimo loco id fiat.

» Ubi autem ſecueris, oportet ulcus
» cavum, in interna patens, efficere,
» impoſito lino crudo; craſſum autem
» & extremo acutius, oportet hoc li-
» num ſive linamentum facere. Quàm
» pauciſſimam aquam parcè emittas.
» Impoſito igitur linamento mollem
» ſpongiam ſupra imponito; deinde ne
» penicellus decidat, deligato. Et ſi
» quidem quinto die pus in ulcere cir-
» cumnaſcitur, ut plurimùm evadit: ſin
» verò circumnaſcitur nihil, poſtquam
» aquam eduxeris, ſitis prehendit il-
» lum, ac tuſſis, & moritur. Per 12.
» autem dies ſemel die aqua educenda:
» poſt 12. verò dies, id eſt, 13. die,
» tota aqua educenda eſt: & reliquo
» tempore, ſi ab aquâ diſtenſio fiat, ex-
» hauriendа, venterque cibis ſiccis re-
» ſecandus.

» Hæc autem poſt ſectionem exhi-
» benda: ſuccum Laſeris dragmæ pon-

» dere adparatum, & Ariſtolochiæ, Tali
» cervini magnitudine, fruſtulum de-
» raſum, & Lentium Ervique torrefac-
» torum Polentam; utriuſque purgatæ
» Chænicis dimidium : hæc melle &
» aceto ſubigito. Deinde 60. Trochiſ-
» cis formatis, unum tritum quotidie,
» vini nigri auſteri quàm ſuaviſſimi He-
» minæ dimidio maceratum, mox je-
» juno potui exhibeto. Reliquam verò
» victûs rationem, & exercitationem
» eamdem, quam priore tempore, ha-
» bere jubeto. Et ſi pudenda ac femo-
» ra intumuerint, audacter ſcarificato.
» Hunc ſi ita curaveris, certiſſimè ſa-
» num reddes.

Monitos Lectores hîc velim me 1°. utroſque laudatos *Hippocratis* textus deditâ operâ confudiſſe & commiſcuiſſe, ut continuatâ oratione integra ejuſdem ſententia pateret. 2°. Me *Hippocratis* μότα & ἔμμοτα, eo modo latina reddidiſſe, quo *Part.* 4. *cap.* 3. neceſſe eſſe demonſtraverim.

Haud omnibus æquè arriſit hicce curandi modus. *Proſper Martianus* Paracenteſin *Hippocratis* ut primum, ut præſtantiſſimum auxilium, commendavit. Magnus *Boerhaave* Aph. 1219. & 1238. *Hippocratem* & *Martianum* preſsè ſequitur.

sequitur. At verò Authorum plerique hanc eo duntaxat casu laudarunt, quo remedia consueta minimè juvarent. Ita *Piso*, *Sennertus*, *Wratislavienses*, *De Gorter*, &c. Imò dantur haud contemnendi in arte Viri, qui hanc operationem, cum bonâ *Hippocratis* veniâ, condemnarunt, ut v. g. *Ludovicus*, *Mercatus*, *Petrus Salius Diversus*, & penè etiam *Sylvius de le Boe*.

Hinc ultimæ penultimæque classis Scriptores, ut quemvis passim Hydropem, ita & hunc evacuantibus docuêre debellandum. Unde Purgantia hi leviora, illi Drastica, tum omnis generis Diuretica, ac Sudatoria præscripsêre. Fonticulos quoque & Setacea, Vesicantia, Sacrificationes, Inustionesque crurum, femorum, tumentisque Scroti, ad revellandam de pectore lympham, unanimiter commendarunt.

Et sanè quoad Paracentesin in genere, in quovis Hydrope, notamus eam ab omni retrò ævo malè audiisse, & à multis tanquam periculosam, à nonnullis tanquam quosvis indiscriminatim occidentem, proscriptam fuisse. Quos egregiè *Cælius Aurelianus*, primi sæculi æræ Christianæ, ut videtur, Author, refutavit; ut & Sæculo XIV. si-

niente, *Ambroſius Paré* aliique. Præcedenti ac præſenti Sæculo frequentiorem in uſum vocata eſt. Notabilia exempla *Acad. Reg. Sc. Pariſ.*, *Theſes Pariſinæ*, obſervationes omnium Regionum, multas Hydropis Aſcitis curationes, ut vocant, radicales, aut ſemel, aut iterùm, aut pluries inſtitutâ Paracenteſi, referunt; tum & curas plures morbum egregiè palliantes.

Numeroſi, qui mihi obtigêre, caſus me docuêre, palliantes curas numero plures, quàm integras, Paracenteſi perfici. Quare examinare confert quandonam integrè, & quandonam tantùm palliativè Hydropici ejus ope curari queant: ſpontè tunc liquebit quibuſnam Paracenteſis, & quouſque proſit.

A causâ quâcumque homo poteſt notabili tempore eam ſuis in humoribus tenuitatem, eam cutaneis in vaſis laxitatem, & Anaſtomoſin habere, ut perpetuò ferè ſudet, ſudorque guttatim defluat, & veſtes madefaciat, lectoſque. Sed & idem homo, ſeu bonitate naturæ, ſeu Diætæ mutatæ, mutatæve Athmoſphæræ, medicamentorumque auxilio, ita poteſt compingi humoribus, vaſis ita conſtringi, ut ultra non ſudet, vireſque ſudore confractas brevi

recuperet. Hic homo tunc integrè curatus est.

Verùm ponamus exhalantium vasorum debilitatem minùs ad corporis ambitum peccare, quàm ad Pleuram, ad Peritonæum, ad viscerum in thorace ac ventre superficiem; ita ut potissimùm per harum partium exhalantia vasa tenuati humores Hydropem transsudendo creent. Ut priori, ita & huic, naturæ, regiminis, Artis auxilio, Diathesis ita tolli potest, ut internus ille sudor cessset. An autem ita hic, quàm ille curatus? Neutiquam. Prior ille vasis roboratis, inspissatisque humoribus, jam curatus erat; posterior cum omni hoc beneficio aquæ dolium manet. Hæc porrò aqua si bonitate medelæ, aut maximè Paracentesi, evacuata fuerit, cum mutatâ in melius jam antea Diathesi, perfecta aderit ac firma sanitas.

Etiam in hoc casu contingere potest, ut Paracentesis, nondùm mutatâ Diathesi, colluviem aquarum auferat; ac deinde optima roborantia & inspissantia remedia integram efficiant constantemque salutem.

Si nunc homo à subito, ac copiosiore potu aquoso, post diuturnam sitim hausto, in Hydropem inciderit,

quemadmodùm olim totus penè exercitus invictiſſimi Imperatoris *Caroli V.* in expeditione *Tunetanâ*; utique potûs abſtinentia, motus, elater converſatus vaſorum, ejuſmodi innumeros reſtituere poſſunt. Sin verò abundantior lympha in corpore effuſa remanſerit, homo hic aut aptis medicamentis, aut Paracenteſi, ab illuvie aquosâ liberandus erit; liberatus rectè valebit.

Sed alia longè res eſt, ſi diſpoſitio in corpore perſeveret, quâ, ſublatis aquis, perpetuò ſuccedant novæ. Si, eductis aquis, vaſorum humorumque vitia corrigi nequeant; cauſæ perſiſtentes novas continuò regenerabunt aquas. Si aperta Hydatis aquam ſtillaverit, eductâ eâ, novam abundantiùs, ablatâ reſiſtentiâ, dabit. Ergo Paracenteſis ad tempus modò levabit; ſed & medicamenta bellè evacuantia etiam tantùm ad tempus proderunt. Igitur cum medicamenta ſæpè nihil aut vix agant, prætereaque corpus defatigent; ipſa verò Paracenteſis vires vix projiciat, nec corpus exagitet, ſecurè autem ſemper certòque evacuet; meritò *Proſper Martianus* & *Boerhaavius* Paracenteſin medicamentis prætulerunt. Tandem in Aſcite, cui Hydrops Cyſticus junctus, etiam cæ-

teris paribus, est Paracentesis medicamentis anteferenda; quia medicamenta ibi vix unquam efficaciter agunt, & Paracentesis semper evacuat.

Diffiteri quidem non possumus mortem Paracentesi presso pede nonnunquam insequi: cum tamen eo modo in casu tunc adhibitur, ut vitam lymphæ abundantiâ jamjam suffocandam fortassis aliquantisper producat, dubiumque tunc auxilium, quàm nullum, adhiberi præstet; neque etiam hîc contemnenda Paracentesis erit. Hujus erat mentis *Hippocrates* Lib. de *Loc. in hom.* pag. apud *Foës.* 417. τῶν νοσημάτων ὅ, τι ἂν ἐπικινδυνότατόν ἔστιν, ἐν τούτοισι παρακινδυνεύειν χρὴ· ἐπιτυχὼν μὲν γὰρ ὑγιᾶ ποιήσεις, ἀτυχήσας δὲ ὅπερ καὶ ὡς ἔμελλε γίνεσθαι. In morbis, in quibus periculum ingens adest, aliquid audendum est: si enim successerit, poteris servare ægrum; si non profeceeris, fit modò id, quod sine tuo molimine brevi contigisset.

§. IV. Atque hæc de Paracentesi. Sed quæ commendatur evacuatio in quâcumque Hydropis specie, Cauteriis ac Scarificationibus peragenda, illa etiam, subsequâ brevi Gangrænâ, discrimine non vacat. Passimque omnes

post *Hippocratem* Medici Hydropicorum ulcera curatu difficillima, ne dicam impossibilia, notarunt. Interim qui hoc primus novit *Hippocrates*, ille etiam ulcera Hydropicis Arte excitanda esse primus monuit. Sibine igitur contradixit? Minimè; sed necessariam adhibuit, quam negligere solemus, cautelam. *Ἀεὶ τὸ ἐξοιγόμενον χρὴ ειν θερματηρίῳ φαρμάκῳ.* Sicque averruncare Gangrænam potuit. Unde benè *Prosper Alpinus*, finiens suum 7. Lib. *de Med. Methodicâ.* » Hocque, inquit, præsidii genere sci-
» mus nos complures Hydrope fuisse
» sanatos; at quia curationem vulnerum
» neglexerunt, alio morbo quàm Hy-
» drope interempti sunt: quippe vul-
» nere in Gangrænam abeunte«. Quare, dum in Nosocomio Scarificationes, Hydropem palliantes, instituimus, saturato Corticis *Peruviani* fomento Gangrænam averruncavimus. Ultra nunc progrediemur. Hydropem & Ascitem & Intercutem curatum vidimus in cancrosâ fœminâ, cui Cortex adversùs Cancrum dabatur; sed vasa corporis, Cortice roborata, omnem aquarum colluviem alvo & urinis expulerunt. Quid ergo impedit, quominùs Hydropis, sine viscerum interiorum scirrho obtinentis,

curam Cortice & assumpto, & sacrificatis admoto locis, tutò tentemus? Duplex sanè causa nos eò adigit: altera, egregius effectus in ipso morbo; altera, ejusdem, ad morbi Proegumenam causam haud rarò tollendam, exploratissima virtus.

Atque hæc de hujusmodi evacuationibus in genere dicta sunto: supereſt eam, quæ de ipso thorace directè instituitur, nunc contemplari.

§. V. Dudùm quidem accessi ad sententiam *Hippocratis*, *Martiani*, *Boerhaavii*, Paracentesin thoracis sive in Hydrope pectoris recentiore, sive viribus utcumque constantibus vetustiore, palmarium auxilium esse statuentium: attamen abstinere nequeo, quin medicum hoc problema proponam, scilicet: *Cur ita laudata Paracentesis, sive ut primum, sive saltem ut alterum in hoc morbo adhibendum auxilium, spatio XXIII. Sæculorum theoreticè commendetur, & vix unquam instituta legatur*? In Empyemate historiam operationis, fateor, habemus: in Hydrope autem pectoris, fortè unus alterve me casus fugit, sed vix illam institutam novi, nisi à *Lowero* & *Wilisio*, idque modò semel. *Willis. op. omn. in fol. tom. 2. Phar. rat.*

*part. 2. sect. 1. cap. 13.* Quid igitur causæ, quod nulla operatio universaliùs commendata, nulla rariùs instituta fuerit?

Si conjecturare liceat, suspicor morbum inchoantem difficulter sæpè ægrorum in vitâ cognosci; morborumque aliorum, in quibus Paracentesis haud conveniat, sub larvâ fallere: dumque demùm cognoscatur, adeò jam provectum esse, ut eamdem haud ultra admittat.

§. VI. Morbum apud *Batavos* haud infrequentem sæpiùs in denatis, quàm in vivis, cognovisse me fateor. Quòd cum Veteranis in Arte quoque contingere cernerem, phænomena observata in illis, quorum me morbus fefellerat, animo volvi, cum phænomenis simili morbo deinceps laborantium sedulò comparavi, atque ita tandem sæpiùs eumdem citiùs præsentem detexi; haud tamen ita, ut nonnunquam illum non nisi conjecturâ assequerer, imò vix ritè, nisi desperatis ferè ægri rebus, cognoscerem. En igitur quæ attentior observatio me docuit!

1°. In plenâ sanitate omnium prima observatur Dyspnœa levis, vix notabilis, ut & vix advertenda Tussicula;

quæ à communi Dyſpnœâ inchoante nullo ſigno diſtinguitur. Ejicitur nihil tuſſiendo : unde Medici totum incommodum pulmoni utcumque debiliori adſcribendum rati, roborantia cum effectu aliquoties bono, ſæpè autem nullo, exhibent. Neque tantillo debilior Pulſus, aut vix perceptibilis ad motum defatigatio, anhelituſve, aliud ſuadent. Nulla enim ratio ſubeſt vomicas aut abſceſſus ſuſpicandi. Lento interim paſſu creſcit malum, interea dum non rarò fallaci curatione Medico imponat. Quippe ſicciore dudùm tempeſtate, moderatiore fortè motu, curatum, læto ægro, lætis adparet Medicis : quieſcente verò ægro, aëreque diù valdèque humido, non curatus morbus, ſed auctus adparet. Tuſſis paulatim increſcens, glutinoſa pauca ac ſpumoſa producens, cum ſonticam cauſam non agnoſcat, Prognoſin vix videtur gravare ; quia in debiliore paululùm pulmone quid glutinis generatione facilius ? Malleoli poſthac pediſque Œdema leviſſimum conſpicitur, vagum quidem primò, poſtea autem conſtantius : ſed vix inde augmentum inquietudinis ; quid enim deſidiosâ vitâ frequentius ? Hic primus gradus, diuturno tempore ſic in pluribus obtinens.

2°. Interim fiunt ægri corpore haud modò, ſed & animo imbecilliores, ſpaſmis flatibuſque, ac levioribus anxietatibus magis obnoxii, ſomnum ægriùs capientes; exiguoſque, leves, vix inchoantes, Aſthmatis ſpaſmodici patientes inſultus. Cum hucuſque nulla cujuſpiam viſceris labes ſe manifeſtet, perſiſtit nobis imbecillioris pulmonis idea, ſolidâque roborandi, ac fluida inſpiſſandi indicatio. Si autem gluten paucum pulmone ejectum Medicis eò uſque imponat, ut ad attenuandum illud accingant ſeſe, morbi cauſa facilè adaugetur.

3°. Creſcunt mala pedetentim; obſervantur quidam noctu inquietiores, & conqueruntur quâdam anxietate ſe à primâ ſomni blanditie captâ expergefieri; erectos ſe oportere; poſtea verò nonnihil tranquillitatis ſe denuò percipere. An id quia jacentibus, truſo altiùs Diaphragmate, præ mole viſcerum abdominis, thorax anguſtior? An verò iis modò fit, quibus venter effuſo intra illum liquore turgidior? Practica obſervata has rationes omninò non per omnia admittunt. Obſervavimus has nocturnas anxietates in his, quorum cadavera abdomen aquis inane exhibe-

rent. Obſervavimus eaſdem cum *Piſone*, licet ægri, illarum evitandarum causâ, in ſedili obdormiviſſent. Utique res explicatu difficilis! ſed quid tunc Medici concludunt indicari? Si gluten aliquid copioſius ad has anxietates exſpuatur, Aſthma glutinoſum; ſi vix tale quidquam, ſpaſmodicum concludunt. Præſertimque dum dato Paregorico, & Antiſpaſmodico ad noctem remedio, ſubitaneam mali furentis remiſſionem ægri ita lætantur, ut ſequenti, altero, tertiove die, noctes agant tranquillas, imò obliti ærumnarum, in publicum prodeant, ſuiſque cum amicis ſe exhilareſcant. Ergo Antiſpaſmodica vel expectorans medela continuatur; morbus in pejus ruit.

4°. Caducam ſuam Machinam interea adhuc miſeri trahunt, donec ad tragicas illas noctes deventum ſit, quibus decies minantur ſuffocationem; unde tandem Leipothymiâ, Syncope, debilitate, vitam ducant ipsâ morte miſerabiliorem; ſicque, quanquam mortem effugere ſæpiùs viſi, tandem ſubitò ſuffocentur. Lepida Catarrhi ſuffocantis adplicatio Medicorum ſervat ſartum tectumque honorem; & ſi forſean Medicus affuerit, qui morbi præſentiam

ante fata ſubolfecerat, utique non niſi ut immedicabilem pronunciaret, cognoverat illum.

Hæc nunc hiſtoria miſerandi morbi, ut plurimùm ignoti, quo plures extincti in unâ, alterâve, aut etiam in utrâque thoracis camerâ collectas exhiberent aquas. Unde quidem crebrior nata poſtliminio ejuſdem in vitâ ſuſpicio, ſed ſufficientium defectu ſignorum, quibus à morbis, quos ſimulabat, quoſque ars ſæpè feliciter tollit, diſcriminaretur, nulla certitudo.

Quamobrem ad invenienda propria morbi ac Pathonomica ſigna variorum adhibiti animi; eorumdemque demùm is adornatus catalogus eſt, cujus cum pag. 258. meminerim, hîc non repetam, ſed ad ſingula ejus Capita ordine reſpondebo.

Ac primò quidem reſpondeo, ſubitam à primâ ſomni dulcedine excitationem, cum intentatis ſuffocationis minis, ſemel mihi octiduo ante fata quondam apparuiſſe, & pluries quidem maturiùs; at verò ſemper provecto ita morbo, ut omnem reſpueret curationem. Pathognomicum proinde hoc ſignum non adpellabo.

Secundò dico Hydropem pectoris ali-

quoties adeſſe poſſe citra hoc ſignum. En evidens exemplum! Sexagenaria mulier hoc ipſo anno, ineunte Maio menſe, ad *Paſmanianum* Noſocomium transferebatur, Aſcitem habens, tumidiſque, atque hinc inde ulceroſis cruribus, lympham ſtillans. Pectoris quidem nonnulla anxietas, ut in Aſcite conſuevit, aderat, ſed admodùm exigua: quodque in provecto Aſcite mirandum, nulla Tuſſis. Nulla præterea peculiaris de nocte anxietas, aut ſubitanea è ſomno excitatio. In dorſum quidem ſæpè incumbens viſa ægra, frequenter autem etiam utrumvis in latus. Vino herbis amaris medicato, cui *Oxym. Squill. Spir. nitr. dulc. Tinct. Millep.* &c. adjuncta, tota ferè, inque iteratâ vice, detumuerat, ſed aquâ furtim captâ continuò ſe replens, relapſa eſt. Tandem manu ac brachio ſiniſtris quatriduo ante mortem tumentibus, 3. Julii expiravit.

In cadavere invenimus Aſciten ventris Cyſticique principium: ſcilicet duas ovarii Hydatidas, quarum una pellucentis lymphæ ultra libram gerebat. Deinde ovarium dextrum in cellulas cartilagineas degenerans, oſſiculum magnitudine pilulæ duorum granorum, membranulâ cohærens, ſuo in fundo conti-

nebat. Uterus vix distentus, glabro carnosoque corpore repletus, quod cum uteri fundo posteriore ita unitum, ut non nisi unam eamdemque cum eo formaret substantiam.

Sed quis mortalium credat hanc fæminam utrumque pectoris cavum copiosissimâ lymphâ repletum gessisse, ita ut arctè in spatio compressi pulmones, pluribus in locis aëre vix ultra permeales essent, magnisque suî portionibus aquæ, in quam injecti, fundum peterent? Utque Pericardium, undique pressum, cum cordis massâ, nullo cavo relicto, in unum coivisset, albitudine modò suâ, duas circiter lineas crassâ, à cordis substantiâ distinguenda? Obiter hîc noto Pericardii absentiam, ab Anatomicis notatam, similibus fortè causis deberi.

Si ergo nocturna Orthopnœa omninò deesse in gravissimo pectoris Hydrope potuit; si in aliis paucis modò ante funera diebus adparuit; si denique, ubi adest, provectiore adeò morbo patescit, ut quodvis ferè respuat auxilium; non videtur illa Pathognomici signi nomine venire debere.

Secundum signum, Œdema scilicet, aut Paralysis alterutrius, imò etiam

utriuſque brachii manûſve, priore vix multò certior eſt. In quo viro dixi nocturnam Orthopnœam octiduo priuſquam periret, me obſervaſſe, in eodem quoque manus nonniſi eodem die œdematoſa apparuit. In fœmina, cujus hiſtoria mox data fuit, quatriduò tantùm ante obitum. In eâ verò, cujus caſus Cap. 2. pag. 235. deſcriptus fuit, tale Œdema adfuit nunquam. Caruit quoque eo clarus *Wepferus*. Ergo quòd vel deeſt aliquando, vel morbo ad interitum proximo ſæpè advertitur, Pathognomicum non eſt.

Tertium ſignum, aquæ nimirùm fluctuatio, pluribus defuit meorum. Adeſſe tamen ſæpè illud, & ratio ſuadet, & *Hippocrates* tradidit, & noſtra fæmina cap. 2. pag. 235. experta eſt, & plures memorant Authores. *Hippocrates* ſedentis hominis comprehendens humeros, validè ejus corpus concutiebat, ut audire fluctuationem poſſet. Authorum nonnulli corpore inclinato id explorant; imò ægro toto corpore ſuperiore de lecti crepidine deorsùm pendulo. Verùm vel non adeſt multis, vel ſerò tantùm adeſſe percipitur fluctuatio; & in caſus *Hippocratis* ſimiles incidere oportet, ubi auditu percipi poſſit. Quod

ergo ſæpè deeſt, aut ſerò nimis advertitur, Pathognomici morbi ſigni conditione caret.

Quartum ſignum, Hypocondriorum, vel alterutrius tumor dicitur; ſed cum tumere variis de cauſis queat, non eſt Pathognomicus hic tumor. Contingere quidem poteſt, ut aqua in Diaphragma gravans, hepar v. g. premat, trudatque extrorsùm; cui ſigno, ſi fortè fluctuatio ſimul adeſt, morbi major certitudo naſcitur: ſed in multis & tumor deeſt & fluctuatio. Ergo.

Quintum ſignum, Pulſus debilis, tardus, ſæpè intermittens, inter hujus morbi ſigna recenſetur. Erat quidem talis *Wepferi*, teſtante *Brunnero*, Pulſus; ſed cum *Wepferus* etiam oſſeam habuerit Aortæ ſubſtantiam, Pulſus ejus non poteſt Hydropis pectoris Pathognomicus adpellari. Deinde talem Pulſum multi Authores non recenſuerunt. Tandem pluribus defuit. Sanè Febricula, invidua multis comes, pro tarditate celeritatem habet.

6°. Fœtentem animam meorum nemo habuit.

7°. Urina pauca, craſſa, Hydropicorum paſſim eſſe ſolet, ſed non immutabili lege. Hydropica cap. 2. p. 248.

eam reddit pulchrè coloratam, limpidam, cum ſedimento ferè acutorum bonorum. *Wepferus* ideò minùs credebat ſe pectore hydropicum eſſe, quod *urina copioſa, naturalis; matutinuſque adeſſet ſudor.* Deſcripta *Wratiſlavienſibus* urina, qualis propè mortem ipſis obſervata fuit, etiam ſic in Noſocomio adparuit: ſed quod lethi inſtantis, id morbi ipſius ſignum dici non poteſt.

Quàm parùm ergo certi, ut morbum initio præſentem dicamus, ex recenſitis nanciſcamur! Provoco etiam ad quotidianam Praxin. Quid incertius concilio Medicorum, quos ſimilis convocaverit morbus! Examine per horam producto, ſæpè uni horum malum Aſthmaticum audit; alteri Dyſpnœæ ſimilius; tertio Hypochondriorum affectione natum; quarto, peculiari nervorum irritabilitati, cum aliquâ acritudine junctâ, adſcribitur; cuiquam fortè etiam Hydropis pectoris ſuſpicio naſcitur. Ac profectò ſi talis reverà eſſe deprehenderetur, idoneum Paracenteſeos tempus nunc forſitan eſſet. Sed ſuſpicio morbi duntaxat eſt, eaque cum aliorum morborum ita intricata permiſtaque ſignis, ut certi quid concludi nequeat; raruſque ſanè ille Medicus foret, qui operationem

hanc ex merâ hâc ſuſpicione in ſe ſuſcipere vellet; ratiorque æger, qui incertâ de causâ permitteret thoracem ſibi terebrari. Unde ad maximè veroſimile concilium concludit, donec ſigna evidentiora eluceſcant; utinam modò, iis elucentibus, conclamatum non eſſet!

Nunquam è mente excidet caſus viri, quinquagenario majoris, qui ſpatio quinquennii ſæpiùs meam imploraverat opem. Cardialgiis ab immortali penè tempore obnoxius, nullum demùm ſolamen habuit, niſi vel ab opio audaciùs dato, vel quando digeſtionis tempore doloribus ferendis ultra non erat, compreſſo validè Epigaſtrio. Ita ut aliquoties invenerim eum in terram pronum, ſubſtratis ſoli ventri pulvinaribus. Spontè enim noverat vehementiores ſopire dolores, nervis abdominis propè Ventriculum & Pancreas compreſſis. Semianno ante mortem veſpere tempus ſuaviter cum amicis fallens, crudeli Cardialgiâ afficitur, brevique poſtea anhelitu, demùm Aphoniâ; anhelans autem ac vocis expers, Cardialgiâ liberabatur. Venâ ſectâ, immiſſo Enemate, Veſicante inter ſcapulas adhibito, inſultus ille mirus tridui tempore integrè ceſſavit; ſed quæ eo triduo planè

ſiluerit Cardialgia, mox rediit. Quindecim diebus elapſis idem Paroxyſmus rediit, ut inſtar Aſthmatici reſpiraret æger; at miſturâ Neuroticâ ſumptâ brevi convaleſceret. Octiduo poſt repetens priore ſævior inſultus, eidem remedio actutùm ceſſit.

An hîc, amabo vos! pectoris Hydropem ſomniare, qui in conſilium vocati Medici potuêre? Quid Aſthmatico inſultui ſimilius? Potiſſimùm ſi conſideremus 1°. quamdam affuiſſe materiem, quæ in ſingulo Paroxyſmo ſedem conſuetam reliquiſſe doloris, & ad thoracem videretur tranſmigraſſe; 2°. idem ita creditum Aſthma conſuetis diſcutientibus & antiſpaſmodicis auſcultaſſe; 3°. ſed auſcultaſſe nunquam, niſi priùs dolor antiquam ſedem occuparet; 4°. per integros quinque deinceps menſes pectus nihil ſimile paſſum eſſe. Interea tamen toroſus eò uſque homo, ac perfectè quadratus, in dies collabeſcere animadvertebatur.

Octiduo tandem ante fata plura ſubitò ſigna manifeſtabantur, quibus Hydrops pectoris ſubdolè dudùm latuiſſe, jamque adeò provectus eſſe videretur, ut immedicabilis eſſet. Improviſa ſcilicet è ſomno excitatio, Orthopnœa,

oculorum vultûsque livor, ac simul manuum inflatio ambarum: consueti verò in Epigastrio dolores hâc vice minimè cessarunt. Pridiè autem mortis omnibus Symptomatibus tam in ventre, quàm in pectore, liberatus, pulsum bonum, vultum mirè recreatum, ac veluti vegetum, præ se tulit, suaque repetere negotia jam meditabatur. Nocte autem insequente in lecto invenitur cum matulâ in manu veluti vomiturus, sedens, sed jam mortuus; atro, eoque plurimo cruore, sub utrâque Albugineâ, suffusus.

In cadavere præter ingentem totius Pancreatis Scirrhum, præter Lienis crassam cartilagineam superficiem, invenimus Diaphragma utroque in latere abdominis, sacci instar, prominens; & lympham enormi copiâ explentem sinistrum thoracis cavum; eodemque modo, sed paulò parciùs, dextrum; costarum denique cartilagines planè osseas factas.

Priorum Anamnesis, morbi finis, inspectio cadaveris, videntur demonstrasse colluviem in pectore aquarum adfuisse; quæ cum larvata, complurium Medicorum aciem fugerit, simul evicit, quàm in proclivi sit hîc falli. Præter Ortohpnœam nocturnam, œdema-

toſaſque manus, etiam convexum versùs ventrem Diaphragma à gravante lymphâ inveniebatur; ſed craſſitudo ventris notabilem non exihuit in vitâ differentiam. Ita ut hoc ſignum pag. 280. ex Authoribus recenſitum in graciliore ventre evidentius, quàm in craſſo, adverti poſſit debeatque.

His omnibus ita penſitatis, veram capimus, arbitror, cauſam, cur centeni Scriptores practici Paracenteſin vel in morbi principio, vel ſaltem poſt irritum remediorum uſum adeò laudantes, eam tamen nunquam inſtituerint: morbus quippe in principio non manifeſtus, eam ultra non admiſit. Qui verò illam inſtituerunt, ut *Hippocrates*, *Lowerus*, *Wiliſius*, & fortè pauci alii, hi cenſendi ſunt in ejuſmodi ægros incidiſſe, in quibus ſigna morbi oportuno tempore manifeſta erant.

Unde ea proficiſcitur concluſio: 1°. ut ſubdolus hic morbus rarò, dum curabilis eſt, cognoſcatur; cognoſci incipiat, dum ultra vix admittat medelam: 2°. ut in poſterum, dum ambiguus inchoantis mali ſe exhibet caſus, Diureticis, Purgantibus, Sudatoriis, Diaphoreticis remediis minimè parcamus; cum ex effectibus brevi pateſcat ſubſitne, quem ſuſpicemur, an alius morbus?

## CAPUT IV.

### DE EPILEPSIA ET CONVULSIONIBUS.

§. I. *Impossibilis aliàs Epilepsiæ cura non rarò obtinetur sedulâ causarum procatarcticarum expiscatione, quamvis proegumenæ haud auferantur. Gravidæ Epilepticæ id demonstrans exemplum.* §. II. *Multiplices viæ, casu detectæ, enarrantur, quibus aut sopitus morbus, aut sublatus fuerit. Hunc in scopum simplicia quædam laudantur.* §. III. *Exemplum mirabile curatæ in Adolescente Epilepsiæ. Mors ejusdem aliâ de causâ orta; & inspectio cadaveris.* §. IV. *Epilepsiam vafri homines varias ob rationes plurimùm simulant. Bina, quæ id ostendant, exempla enarrantur.* §. V. *Variæ leges dolos eorum malos expiscandi & demonstrandi.* §. VI. *De Dæmoniacis fictis, eosque palàm prostituendi methodo. Magnâ prudentiâ Medicis opus esse ostenditur.*

§. I. EPILEPSIA morbus est omnem Artis opem haud rarò eludens, sæpiùs tamen vel curandus integrè, vel

ita saltem moderandus, ut causâ Procatarcticâ ablatâ, Proegumena veluti sopita maneat, atque ita certo quodam sensu morbus planè abactus esse videatur. Unde plurimùm juvat, quæ Symptomata, aliquandiu aut mox ante insultum, præsentiat æger, apprimè nosse; nota autem tollere, aut saltem suffocare posse. Experimentis enim constitit horum felici ac prompto moderamine, haud rarò averruncari Paroxysmum. En ex pluribus unum! Inexpugnabilis multis ab annis Epilepsia tandem & ante Paroxysmum nauseas, & in Paroxysmo vomitus exhibet violentos. Illustrissimus Baro *van Swieten*, egoque, ad Emeticum ante futurum Paroxysmum, deinde, ne Emetici turbæ nocerent, ad Paregoricum exhibendum, facilè devenissemus, ni graviditas obstitisset. Considerantes tamen postea & prægnantem & fœtum, Paroxysmis vehementissimis graviùs lædi, quàm Emetici actione, Emeticum dedimus, Emeticum repetivimus: idque eo cum successu, ut morbus integro decennio siluerit. Præsentiebat quidem illa aliquoties quasdam veluti futuri insultûs inchoamenta, sed & has usu sequentis remedii penitùs compescuit. ℞. Spir. sal. ammon. Tinct.

Caſt. Suc. Aſſæ fœt. â. dr. 3. ter, quater die 60. gtt. cum vino. Exacto verò decennnio, ſummis animi mœroribus confectam repetens Epipepſia occidit.

§. II. Dum verò aut nihil horum ab ægro præſentitur; aut etiam præſenſum auferri nequit; aut denique ablatum, effectum cauſæ latentis non ſopit: ſæpè immedicabilis morbus haberi ſolet. Attamen ne tunc quidem abſolutè conclamatum pronunciare oportet. Fuêre quibus excitatus ille, & nutritus opiparâ ac deſidiosâ vitâ, ſubitâ fortunarum jacturâ per omnem vitam, haud contemnendâ planè compenſatione, ſiluerit. Alii, quibus caſus ab alto in cranium, vulneraque ejuſdem, aut contuſiones, morbi aut moderamen, aut integram effecerint abſentiam. Etiam mutatione domicilii, diuturniore peregrinatione, vitæ genere prorsùm permutato, quidam leguntur ſe etiam ab ipsâ gentilitiâ labe præſtitiſſe immunes. Ars, hæc ſimiliaque contemplata ac imitata, ſtupendas nonnunquam curas perfecit. Sed & ſimplicia uſu detexit, quæ ſummæ ad hunc morbum refrænandum efficaciæ ſint. Hæc inter *Pæonia*, *Viſcus Quercinum*, & *Radix Phy*, ſive *Valerianæ*, *foliis omnibus pinnatis* dictæ Boranicis,

tanicis. Vidimus ſanè rebellem dudùm morbum aut hiſce mitigatum, aut ſilentem penitùs. Experimenta noſtra dudùm facta confirmavit nobis Doctiſſimus Vir *J. Scopoli*, Phyſicus *Idrienſis*, *Florâ* ſuâ *Carniolicâ* clarus, qui binis dragmis pulveris Radicis *Valerianæ* quotidiè datis, deinde ejuſdem decoctæ librâ poſt ſingulam pulveris dragmam exhibitâ, Epilepſiam triennem, ex terrore, (peſſimâ ſanè origine) natam, & quovis ferè die adorientem, jam per decem ſeptimanas, dum hæc ad me ſcriberet, ſuppreſſerat.

§. III. Sed præterea, dum Polymorphus hic morbus nos per hæc omnia tentantes prorsùm eludit, nonnunquam nobis, animo ad cuncta attentis, ſuî amotionem veluti furtim indicavit. En notabile ejus, quod habuimus, exemplum!

Sexennis puer, ſaniſſimus, inſiliente in ſe cane moloſſo ita terretur, ut integro triduo convellatur, horrendoſque poſtmodum Epilepſiæ inſultus ferè quotidie patiatur. Morbus ad omnia rebellis, ac per ſexennii ſpatium perdurans, ignoto Parentibus remedio paululùm miteſcebat; ſed novo irritatus pavore, nec ultra ignoto remedio moriger, pue-

rum vario modo, quotidie, eodemque die multoties adoritur. Tandem inter pauperes, qui manè Nosocomium, consilii causâ petunt, mihi sistitur.

Radicem *Phy* trium septimanarum spatio ipsi dedi, sed ab eâdem desistere increscens vis morbi me compulit. Quò autem securior medicina esset, illum in Nosocomio locavi. Sedulo examine constitit vigesies & ultra, die, inchoari Paroxysmos, sed semel tantùm bisve compleri eosdem; idque hoc modo singulis diebus ac noctibus. Virus *Castorei* copiosioris me explorantem, itidem effectus elusit; quemadmodum etiam aliorum fœtidorum, & acrem spiritum rectorem habentium, usum. Morbus varietate terribilis nunquam graviores suos insultus modo perficiebat eodem. Alio enim tempore totum corpus, medium autem alio convellebatur, alterâ suî parte obrigescens. Nunc Opistotonos, Emprostotonos utcumque alio tempore fuit. Jamque unâ vice vehemens calcitratus, aliâ vice manuum in proprium pectus caputve, tanta agitatio, jactatio, vibratio, ut, ni cautum fuisset, sibi nocuisset vehementer. Sudor perquàm fœtidus insultum comitabatur, copiosus ita, ut indusium lectusque plurimùm

maderent; tenax itidem adeò, ut corpori, ceu quopiam glutine, adhæreret. Mugitus, ululatus, rugitus, gemitus, vultuſque omnem in modum horridus, & urinæ profluvium, Paroxyſmum frequenter concomitabantur.

Interim morbo quotidie in pejus verſo, naſcuntur ſigna vehementis humorum rarefactionis, quam ipſa natura haud levi narium hæmorrhagiâ teſtabatur. Sed ſæpiùs me Mater monuerat, nunquam ipſi graviores fuiſſe, frequentioreſque Paroxyſmos, quàm qui hæmorrhagiis ejuſmodi ſucceſſiſſent. Re nihilominus creſcente admodumque urgente, ſanguinem pede bis detraximus, diluimus, moderavimus; ſed morbum hinc vehementer augeri doluimus.

At verò dies diem docet. Animum quippe quamcumque in partem vertentes, conſtanter demùm obſervavimus puero jacenti, frequentique ſomno obrepto, morbum frequentiorem eſſe, quàm aut ſedenti aut vigili. Hanc ob cauſam majore diei parte illum in ſedili locavimus, vigilemque variis objectis mentem gratè occupantibus ſervare anniſi ſumus. Senſim hinc inſultus rariores.

Verùm ſoporoſus erat. Et tandem ſomno quidem capto Paroxyſmum accedere, nunquam autem vigili, advertimus. Ergone cauſa tetri mali latens aptiores in ſomno nervos, ut agitaret, invenit, quàm vigiliarum tempore? Utique experientiâ convincebamur, quò Adoleſcentem diutiùs vigilem ſervabamus, eò rariores contingere Paroxyſmos. Sic liberos quidem dies integros nanciſcebamur; nocturnos verò inſultus, cum tamen dormiendum erat, averruncare non poteramus.

Aliud igitur conſilium arripuimus. Vigili inſultus ultra non fiunt: fiunt autem, dum ſtertoroſus eum ſomnus capit. Ergo cauſa latens invenit nervos ſomni ſtertoroſi, quàm vigiliarum tempore, ad Convulſiones, ad Tetanos, ad Spaſmos aptiores. Ipſeque ille ſtertor ſomnum minimè naturalem eſſe demonſtrat. Quid igitur ſi opio nervos inſenſiles redderemus, ne cauſa illa, ignota nobis, irritare eoſdem poſſet? Sed contra: Nunquid opium in diſpoſitione adeò comatosâ ſomnum non poſſet æternum facere? aut per omnem vitam ſtupiditatem? Sed periculo ſaltem vacabit minima doſis. Igitur tentavimus. Jamque minima doſis in corpore, opio neu-

tiquam assueto, nec soporem augebat, & tamen boni præstabat quidquam. Dosin ideo prudenter auximus; omnem omninò Paroxysmum avertuncavimus; pro sopore somnum naturalem produximus; puerum brevi agilem, alacrem, sanum, salutavimus; Matri reddidimus.

Usus Adolescens integrâ per tres menses valetudine, ad Nosocomium rediit; tumorem sponte in inguine natum mihi exhibiturus. Hernioſusne esset, an alius generis tumor, ambiguum fuit. Ventre primùm liberato, emolliens Cataplasma appositum est. Sed paucis postea diebus nuntiavit Mater Dysenteriâ, quam mihi non indicaverat, sed commiserat Balneatori, Filium periisse.

Cadaveris examinandi copia fuit. Patuit tumorem in inguine ante aliquot dies exhibitum, ingentem fuisse abscessum. Nodus durus nervo diaphragmatico in medio suo itinere arctè circumcretus inveniebatur; aliusque similis illi ejus loco, ubi in diaphragma abiturus erat. Thalami Opticorum emarcidi.

Nunquid vitia enatrata nervorum medullæque, diu post Epilepsiam nata sunt? An verò dudùm præsentia, cau-

ſam proegumeuam poſuerunt, cui terror accedens, cauſam Epilepſiæ proximam cum illis formaverit? Incertum! Saltem aut Idiopathica Epilepſia à terrore genita excitatave, Idiopathica à terrore cum malè affectâ medullâ cerebri orta, aut demum invincibilis Deuteropathica, ex malè affecto nervo diaphragmatico & terrore nata, arte medicâ ſi non curabilem, ſopiri ſaltem ita, ac ſi penitùs abeſſet, ſe poſſe oſtendit.

§. IV. Sed tœdioſa cauſa ingratam obſervationem, Tyronum in gratiam, adjungere jubet. Quippe nullâ re turpiùs decipimur, quàm Epilepſiâ, aut Convulſione, fictis. Vix morbus datur, quem & frequentiùs & artificioſiùs ſimulare Mendici norint, quo tranſeuntium animos in commiſerationem commoveant. Pueri ac puellæ hanc vafram fingendi artem à ſe mutuo diſcunt, ne vapulent; vel ut molliùs tractentur; vel ut nihil cogantur addiſcere: quemadmodum vident cum pueris, quos in Paroxyſmis fortè viderint, à parentibus tutoribuſque agi. Maturam Virginem Procorum penuria torquet angitque. Fortè caſu audivit à garrientibus inter ſeſe matronis Epilepſiam matrimonio

nonnunquam curari. Ergo eam artificiosè fingere discit, quò cogat Parentes se viro jungere. Monachus, quò à Choro, à jejuniis, aliâque monasticæ vitæ asperitate se vindicet, se fingit convulsum. Quin & sine peculiari intentione ipse malus animus eo nonnullos seducit. Tandem etiam in scenam diabolus adducitur, quo obsessos se fingunt, intentione sonticâ variâ, etiam, quis credat! superstitionis roborandæ causâ. En aliquot, quæ habuimus, exempla!

Adducebatur mihi puella gravi auditu laborans. Quo, Revellentibus, & factis in aurem injectionibus, restituto, Convulsiones suboriebantur, quas hoc ordine contingere Mater narrabat. Incipiebat tremere puella, angi, anhelare, clamare, brachia agitare, totumque corpus, humi cadere, pollices fortiter intra pugnos firmare, vociferari, cantare, ore tandem producere spumam. Principio bis, ter, die, id contigisse; jam autem quâvis fermè horâ.

Commodo meo morbum examinaturus, puellam jussi in Nosocomio servari. Vidi illam, eâdem die, in lecto decumbentem, convulsam, mediisque in Convulsionibus pollices adeò fortiter intra pugnos firmare, ut maximâ vi vix

ſolvere valerem. Oculos horrendè agitabat. Attamen dolum ſubeſſe ſuſpicabar; 1°. quòd oculi durante Paroxyſmo non connivendo, ſed ſano prorsùm modo, aperirentur; 2°. quod pulſus ferè naturalis eſſet; 3°. quod cortinis lecti clauſis pupilla dilataretur, viciſſimque apertis iiſdem contraheretur; 4°. quod pupillæ admotâ candelâ vividiſſimè ſe contraherent, & puella quaſi nocumentum inde percipiens, caput rotaret. Igitur è lecto ſtatim exemi: minitantem ipſam lapſum Cuſtos ægrorum minis, ſi caderet, intentatis, erectam ſervavit; & baculo munitus, eoque veluti vibrans, Convulſionum progreſſum ſtitit. Convicta demùm puella, fatebatur & ſurditatem olim, & nunc Epilepſiam finxiſſe ſeſe, ne cogeretur munus ancillare obire, cui eam Mater deſtinaverat.

Hanc in fingendi fallendique artificio craſſiorem ſequebatur aſtutior Adoleſcens, quem vaframento ſuo pluribus me luſiſſe diebus fateor. Mirificè convellebatur toto abdomine, tumque vehementer ſingultiebat. Ortum porrò id aſſeverabat Mater, quod Emeticum ipſi datum fuiſſet. Adjungebatque Paroxyſmum non rarò etiam invadere dormien-

rem. Detentus aliquot diebus in Nosocomio, Enemate, Epithemate, Neuroticis ac Paregoricis, sanitati, ut videbatur, restitutus, Parentibus redditur. Vix verò tantisper paternas incoluerat ædes, quin repeteret Paroxysmos, & à Matre in Nosocomium reduceretur. Fucum suspicatus, privato eum cubiculo incluſi, ubi se solum credens, nobis eum per rimam contemplantibus, tranquillè sedebat, nobis intrantibus in Convulsiones Singultusque prorumpebat, nobis egressis iterùm sedatus. Imò idem in Paroxysmo contingebat, dum adstantes aliorsùm cerneret occupatos; nam fictis tandem motibus defatigabatur. Patri arcessito veritatem fateri coactus, ideò se simulasse hæc confessus est, ut à Magistro, apud quem carpentariam artem discere cogebatur, dimitteretur, ædibusque reciperetur paternis. Igitur vel Mater cum Filio collusit, dum etiam dormientem malo invadi affirmaret, vel ipse novit se dormientem vaferrimè fingere.

§. V. Versati in hisce Practici ea passim experiri solent, quæ jam enarravi, quò doli latentis fiant certiores: ac præter hæc omnia, bonis unguibus norunt prehensam cutim rudissimè vellicare;

imò ignem manui, aliisve corporis partibus admovere, & si ne id quidem juvat, ignem immediatè adplicare solent. Exempla docent fictas Epilepsias ejusmodi tentaminibus se prodidisse.

Attamen & morbum fictum esse, & ne igne quidem posse detegi, non caret exemplo. Sceleſtissima fœmina 20. annorum, quæ animi gratiâ vetulam truculentâ manu occiderat, fassa in carcere est horridam Epilepsiam, quâ longo tempore laborasse credita fuerat, se impio animo finxisse; id quod etiam experimento confirmavit. Morbum enim simulare jussa, ita simulavit, ut quivis ferè crederent fictum morbum in verum demùm abiviſſe; jussaque medio in Paroxysmo surgere, & tranquillè ambulare, surrexit, ambulavit. Hanc nos, Illustrissimus Præses, Spectabilis Decanus, & Clarissimi Professores, supremo jussu, nomine Inclytæ Facultatis Medicæ examinantes, eadem audacter proferentem & repetentem audivimus. Et quod res est, ostendit nobis tres fœdas in manu cicatrices, quas ipsi igne Chirurgus, urendo veritatem exploraturus, olim inusserat, quasque inuri sibi adeò tranquillè pertulerat, ut ultra nemo de certitudine Epilepsiæ dubium

moveret. Quis crederet remedium, adeò cæterum infallibile, quandoque turpiter fallere posse? Meliùs profectò in hâc scelestissimâ muliere Parisinum successisset experimentum. Cum enim quisquam ad Epilepsiam in plateâ adstantium fucum subolfeciſſet, jussit convulso paleam substerni, ne sibi læderet: quo facto, utrumque paleæ extremum flammâ incendit, effecitque, ut vaferrimus homo fulmine citiùs fugam capesseret.

§. VI. Sed & aliud Convulsionum genus hîc memorandum est, quarum autor, horresco referens, Sathanas dicitur. Utroque in sexu id expertus sum. Plures fæminas, quas à Diabolo obsessas vulgus non modo, sed & Sacerdotes jurabant, AUGUSTISSIMA IMPERATRIX ad Nosocomium practicum deferri jusserat, examinandas. Examinavi porrò easdem eo munitus principio, quod homines à Dæmonibus reverà obsideri, ut aiunt, queant; quodque id invictis argumentis tum ex Novo Testamento, tum ex genuinâ Historiâ Ecclesiasticâ, & SS. Patrum Doctrinâ, petitis, indubitatissimum sit; ut meridianâ luce evidentiùs Illustrissimus Præses, Cap. de Epilepsiâ, demonstravit: sed

simul eo principio, quod Sæculis posterioribus, præsertimque corruptissimo nostro, millenæ fingantur fallaciæ, quas utinam Simpliciores Monachorum Sacerdotumque haud ita foverent! Horum porrò principiorum ope fraudem facilè detexi, detectam revelavi. Ubi igitur res mihi constabat, sic egi: Custodes ægrorum, singulos bonâ aquæ amphorâ munitos in acie collocabam, ut mox, dum ad auditum venerabile DEI Nomen, nominave Sanctorum, rerumque sacrarum, fictus diabolus corpora pro more agitaret, integram amphoram unico ictu in faciem pectusque profunderent; idque ita, ut si ad primam profusam insultus non cessaret, suam ordine omnes evacuarent. Primâ utique vice amplo satis aquæ dolio indigebam: sed cum intelligerent omnes deinceps Convulsiones hanc sortem habituras esse, non habuerunt postmodum ullas, sed integrè sanæ apparuerunt.

Nemo in nos, confido, quod rude adeò & incomptum experimentum tentaverimus, tanquam in profanos, indignabitur. Eramus aliis argumentis plane convicti de fraude nefandâ; sed ejus fabricatores publicè convincendi erant. Ad exhibitam v. g. sanctæ Crucis

imaginem, aut ad alias res ſacras, quas corpori adplicatas illicò Diabolum revocare ferebant, videramus quidem ſtatim id, quod prædixerant fieri: ſed quando eaſdem-res ſacras involveramus, ut, quid eſſent, non adpareret; involutaſque eiſdem applicueramus, Convulſio nulla excitabatur. Si quoque rude lignum aquâ ſacrâ aſperſum eſſe dicebamus, eoque corpora tangebamus, furebat Diabolus; itidemque ſi ipſa corpora aquâ luſtrali aſpergebamus; ſed æquè validè etiam, dum aquâ merâ utentes, tantùm fingeremus eam aquam ſacram eſſe. Igitur fraudis certi, reliquum experimentum duntaxat iſtituimus, ut dolus omnibus pateſceret.

Igitur ſanctiſſimæ noſtræ Religionis veneratione & amore ducti, debuimus ea confundere, quæ illam adeò dehoneſtent: & ex corde vovemus, ut ii, quorum eſt Catholicam Religionem tueri, propagare & ornare, à depravatâ aut malitiosâ hominum ideâ fovendâ, ſtatuminandâque abſtinerent; & ſive per ſe, ſive per alios, eadem, quæ nos, tentamina inſtituerent. Utique haud tam ſæpè res ad Religionem ſpectantes, ludibrio & irriſioni exponerentur, nec

ipsi illi, fraude postmodum detectâ, ignominiâ confunderentur.

Profectò si ad doctos hominum dolos, eruditamque vafritiam, Medici se non aliquantulùm cautos atque subargutulos præstent, & artem suam & se ipsos ludibrio continuo exponunt. Casus quotidiani sunt. Haud ita pridem fœmina aderat, quam ipse Confessarius, tantâ Religione pollere, tanto eminere pietatis exercitio asserebat, ut si Sancti in hâc tellure haberentur, hæc saltem Sancta habenda foret. Anxietatibus, & planè singularibus faciei convulsionibus viciniam totam in commiserationem ducebat Hinc illam in Nosocomio suscepi, & bonâ fide aliquantisper deceptus, tandem attentior in rem detexi pulsum, & ante insultum, & sub insultu, postque eundem, nunquam non optimum esse; dum de prostrato prorsùm appetitu conquereretur, eam integram suam portionem avidè abligurire; & durante Paroxysmo me manibus meis ita vultum ejus componere posse, ut Convulsiones planè cessarent. Convictus doli ego, turpitudinis eam suæ, suæ Hypocriseos convincere annitebar, sed incassum. Alio ergo modo

convincenda erat. Cura per aquam, ut in Dæmoniacis fictis instituta, effecit, ut Convulsiones redierint nunquam, licet adhuc per 12. dies in Nosocomio detineretur. Sed ne tunc quidem finis fingendi. Quippe à facie malum in pectus delapsum esse, continuumque creare anhelitum conquerebatur. Fraudem ipsa prodidit, dum liberrimâ & longe productâ respiratione fruebatur, quando per horæ quadrantem mentem ejus grato, quem cum illâ miscebam, sermone, à decipiendi studio abduxeram.

## CAPUT V.

### DE CALCULO, UVA URSI, LITHONTRIPTICIS DICTIS, &c.

§. I. *Historia hominis à diuturnis Calculi doloribus Uvâ ursinâ liberati; eâque occasione describitur remedium, quo sibi olim multùm profuerat.* §. II. *Alius Calculosus, qui quodam remedio multùm levatus, deinceps verò minimè, ab Uvâ ursi juvabatur; viribus autem penitùs extenuatis moriebatur. Miranda ejus Anatome. Non curat Uva ursina, quos Lithotomia non curasset. Recensio multorum, quæ vocant, Lithontripticorum; quæ probantur Uvæ Ursi viribus minora.* §. III. *Uva tamen quosdam non nisi tardè admodùm juvat, imò nonnunquam Recidivam post se relinquit, si non continuatur: his sectio suadenda, ne degeneratio partium immedicabilis fiat.* §. IV. *Congenitus verosimiliter Calculus felici sectione curatus. Anceps hæc curatio, cum omnibus eam suadentibus dissuadentibusque argumentis, enarratur, acutissimusque illi mox subsequus morbus: tum etiam urinæ phænomenon,*

*Uvæ ursi necessitatem, etiam post sectionem indicans. Subjunguntur intermiscenturque observata circa Lithotomiam, & incommoda, quæ illa nonnunquam post se reliquit.* §. V. *Urinam Calculosus reddit, in quâ, dum in vitro quiescit, lapilli generantur. Homini huic Uva ursi mirificè confert. Puer calculosus, quo toto tempore* Stepfenianum *Remedium sumit, calculosa ramenta cum urinâ copiosissima emingit; sectione nihilominùs liberandus. Non fuêre soluti Calculi ramenta, sed corpora genita à materiâ terreâ copiosâ, in vesicâ præsente. Forsan generalis Calculosorum ejusmodi Dispositio est. In contrarium autem affertur Historia Rev.* Kirkpatrik, & Quadragenta Calculosorum, *in Actis* Acad. Reg. Scient. Paris. *ex quibus* Cl. Morandus *concludit id propriè effectum esse remedii* Anglicani, *viresque ejusdem Lithontripticas hinc demonstrari. Argumenta contra hanc sententiam.* §. VI. *Novum experimentum ostendens id multiplici observatione constare, quod hæc ipsa Diathesis Calculosis communis sit, quodque sincerè loquendo* Stepfenianum *Medicamentum, si forsan sapone ac calce, quibusdam levamini*

*est, plurimis tamen ita hanc in Calculosis dispositionem augeat, ut id jam fiat in vesicâ, quod aliàs in matulâ. Conjecturæ quædam circa Lithiasin, & circa originem copiosæ adeò calcariæ materiæ.* §. VII. *Binæ nostræ Methodi in Calculo videntur cæteris hucusque cognitis anteponendæ. Vires horum omnium verè Lithontripticas nulla experimenta adstruunt. Unde cura integra non est, sed egregiè adeò pallians; ut homo æquè liber sit ab incommodis morbi, ac si Calculum non haberet. Nec Calculus extra corpus humanum in aquâ calcis magnam partem solutus, aliud docet. Tandem problemata proponuntur circa causam hujus indolentiæ.*

§. I. SPATIO elapsi Academici anni frequentiores quosdam olim morbos, observavimus rariores, Paralysin nempe, Calculos, ac systematis urinosi alias affectiones: haud tamen ita raros, quin novas observationes colligere potuerimus, quorum præcipua dabo, unà cum nondùm communicatis antiquioribus.

Vir mediæ ætatis à 14. annis dolores in mittendâ urinâ percipiens, cujusdam

consilio usus est quotidie, spatio novimestri, septem nucibus Avellanis, & novem Juniperi Baccis. Quo remedio, postquam urinam vini fœcibus similem trimestri tempore minxisset, vitam diu tolerabilem duxit. Tandem tamen dolores redierunt, & urina anni abhinc spation glutine copioso scatet, validique adeò urgent Tenesmi, ut Intestinum Rectum ad pugni molem extrudatur. Remissionis tempora observat nonnunquam. Et quæ utilia quondam remedia fuerant, ea usu nunc cassa experitur. Calculus, Cathetere inducto, manifestus adparuit.

Integris sex mensibus *Uvâ Ursi*, & opiato nocturno usus, ferè convaluit; ut leviora, quæ nonnunquam supersunt, incommoda non curet, remediumque, quod cæterùm gratis habet & facilè sumit, prorsùm negligat. De industriâ formulam remedii quo malum quondam compescuerat, addidi; ut plura in rerum naturâ existere intelligeremus, quæ hasce ærumnas mitigent. Aliud sequens historia dabit.

§. II. Vir 32. annorum à 4. ætatis anno urinæ difficultati obnoxius vixit, varioque excrevit Calculos. Ad vitæ suæ annum 24. mulierculæ consilio, li-

quore uti cepit, qui odore ac ſapore Therebinthinam referret, eoque integri ſeptennii ſpatio optimè ſe habuit. Pauper ipſe, cum liquori ſolvendo ultra non eſſet, ſubſtituit Juniperi Baccas, immensâque devoravit quotidie copiâ. Tandem verò redeuntis doloris crudelitate iterùm victus, antiquum liquorem repetivit; ſed jam citra levamen. Doctiſſimus *Gleiſner*, qui jam *Græcii*, *Styriæ* Metropolis, praxin magnâ cum prudentiâ & laude exercet, miſeri hujus curam ſuſcepturus mecum conſuluit, datiſque cum *Uvâ urſinâ* & Opiato, Traumaticis ob puris emincti copiam Decoctis, ingens ſolamen homini attulit, & à doloribus per tres ſeptimanas immunem præſtitit. Homo tamen labeſcentibus ſenſim viribus contabuit, periit.

In cadavere renes magni, ſiniſter præprimis, ſaccos pure plenos referebant. Ureteres ita ampliſſimi, ut ſiniſter Inteſtinum Colon amplitudine ſuperaret. Veſica circum Calculum contracta, ac planè ulceroſa Calculus uncias quatuor, unâ dragmâ minus, pondere pendebat, fuſcus uno latere, altero cinereus.

Confirmari dato exemplo cernimus,

quod *Part.* 4. variis anatomicis obſervationibus poſueram; eos nimirùm *Uvâ Urſi* non curari, quos Lithotomia curare non potuiſſet. Calculi quippe ſectio degenerationem ureterum ac veſicæ renumque non emendat, non aufert. Deinde ex enarratis patet ſolamina plura adhiberi poſſe, quibus longâ annorum ſerie ſopiantur hæ calamitates. Occaſione liquoris Therebinthinam referentis, memini olei dicti *Harlemenſis*, apud *Batavos* famigeratiſſimi, quod Therebinthinam odore quoque multùm æmulatur. Nocet quidem multis, aucto fortè ſtimulo, aliâve ejus qualitate; ſed plures tamen novi, qui ejus uſu per annos ſeſe præſtent doloribus immunes. In Millepedibus cum Oleo Vitrioli Roſtochii *Laurenbergius*, in *Diſſert.* de *Lithontrip.* ad *Hoyerum*; in Olei Vitrioli rectificatiſſimi uſu copioſiſſimo *Schulzius* (vid. *Diſp. Chir. in Collect. Ill. Hall. tom. 4.*) efficax ad Calculum remedium inveniſſe ſe autumarunt. *Uva Urſi* tamen reliquis palmam præripere videtur, quia & pluribus prodeſt, & conſtantes curas, Calculo etiam manente, efficit (*a*).

(*a*) *Uvæ urſi* uſum quotidiani feliciſſimique ſucceſſus comitantur, teſtibus nonnullis Medicis

§. III. Porrò quamvis celer in multis ejus effectus ſit, in aliis tamen tardus Pariſienſibus, teſte celeb. Authore noſtro Cum Medicamentorum vires nimiùm citò divulgari non poſſunt, verba Illuſtr. *de Haen* hîc adjungimus, ex opere recenter edito, deprompta, ut Medici *Uvam urſi* citiùs & tutiùs præſcribant, & ea confidentiùs utantur qui Calculo veſicæ cruciantur.

» Intolerabiles dolores à Calculo in re-
» ne, maximèque in Veſicâ urinariâ, egregiè
» ac perſeveranter tolluntur curâ aquæ calcis
» & potiſſimùm *Uvâ Urſi*: ita ut continuis
» quatuor annis, (nondum enim plures annos
» experimenta numerant), ne vel minimum
» quidem ſymptoma Calculi in Veſicâ hoſpi-
» tantis, obſervatum fuerit; homineſque reve-
» ra ita vivant ac ſi nunquam Calculum habuiſ-
» ſent. Interim Calculus vi lithontripticâ non
» periit. Iterata enim Catheteris exploratio
» eumdem & adeſſe & nonnunquam ſat aſperum
» eſſe abundè demonſtrat: vid. *Rat. Med. Part. 2. cap. 12 Part 3. cap. 4. Part. 4. cap. 7.* Quod uni alterive horum unicè ſu-
» pereſt, materies alba in urinâ eſt, eaque vel
» glutinoſa duntaxat vel veluti purulenta; quæ
» utraque materies in fragmenta Calcarea, dum
» exſiccatur, abit. Sed cum hanc innocuè red-
» dant ſine dolore, ſine Teneſmo, ſine ſtran-
» guriâ, ſanorumque inſtar ſe quoad totam
» hanc functionem habeant, revera immunes
» à Calculo ſe credunt ». Vid. *Difficultates circa modernorum ſyſtema de ſenſibilitate & irritabilitate*, &c. *Authore de Haen Viennæ Auſtriæ 1761. pag. 130.* Opus illud eximium in linguam Gallicam converſum, prælo ſubjicitur.

admodum obſervatur ; id quod in bienni infante, antè triennium mihi exhibito, præprimis obſervavi. Etenim datum per 4. menſes remedium vix juvabat quidquam ; deinde inconſtanter ; jam verò ab anni elapſo ſpatio conſtantiſſimè ; ita tamen, ut ſi ſemper benè valentem eſſe puerum Parentes velint, pulveris uſum intermittere nunquam debeant. Aſper Calculus ipſi ante triennium deprehenſus, ſimilis etiam hoc anno, repetitâ per Cathererem exploratione, inventus eſt.

Hic ſanè puer non eum remedii habuit, quem alii, effectum. Alii enim poſt longum ejus uſum neſciunt ultra ſe Calculo laborare, quamvis à longâ die remedio carentes ; hic ſi diu intermittat, à redeunte dolore ad idem confugere cogitur. Quare ſi hoc anno id non emendetur, facilè proponemus Parentibus Lithotomiam : cum ab unâ parte *Uva Urſi*, magnopere licet ipſi proficua, clarè tamen innuat aliquam, quamvis fortè nondum valdè notabilem, urinoſi ſyſtematis degenerationem ; prout obſervata *Part.* 4. data docuerunt : ab alterâ parte metus eſt, ne à diuturniore medicamenti uſu vel abhorrere puerulus, vel deſiſtere Parentes incipiant,

quod remedio dudum non adhibito, malum ſenſim renaſci videatur: quo in caſu miſerrimum in ſtatum puer dilaberetur, neglectuque auxilii in Veſicæ, Ureterum, Renumve, immedicabilem incideret degenerationem. Ita ſimili in caſu hoc anno fecimus.

§. IV. Quippe menſe Februario anni 1759. Parentes ad me ducunt novennem filium ſuum, qui ex quo natus erat, perpetuò ipſis viſus fuerat in emittendâ urinâ dolere, ejulare, eamque nunquam naturaliter, ſed perenni reddere ſtillicidio. Ærumnis hiſce pauperes pedetentim aſſueti medelam non fecerant; jam verò cum ſine commiſeratione intolerabiles pueri dolores à 14. diebus adſpicere ultra non poſſent, eum mihi obtulerunt. Immiſſo Cathetere Calculum manifeſtè deteximus.

Bimeſtri ſpatio incredibile quantum *Uva urſina* profuerit! Renaſcente nihilominus poſthac dolore, omnem curationis fiduciam depoſuêre Parentes, puerumque omni deſtitutum reliquêre auxilio. Interea ita crevit crudele malum, ut nunc hunc, nunc illum, levandi causâ, adierint. Integro demum anno, ex quo puer ultimo nobis oblatus fuerat, elapſo, Pater illum hoc menſe

Maio

Maio iterùm adduxit, enixè petens, ut eum sectione liberaremus. Calculi præsentiam exploraturi, Catheterem non nisi cum labore, dolore, hæmorrhagiâ, inducere valuimus, nec movere inductum: ita ut Calculum eâ vice non perciperemus. Digito verò in anum immisso, eumdem versùs vesicæ collum deprehendere videbamur.

Hic optimus noster Chirurgus *Ferdinandus Leber*, egoque, rem citro ultroque versavimus. Repræsentabamus nobis 1°. Casum ut ferè congenitum, forsitan incurabilem fore, & notabiles nonnullas partium degenerationes jam adesse: 2°. *Uvam Ursi* initio prodesse visam, reditum calamitatis minimè impediviſse, adeoque non juvare eâ, nec Lithotomiam, ex factis antea observationibus, profuturam. 3°. Vesicæ ad Calculum contractionem, tum impedimento fore, ne operatio ritè peragi posset, tum si adhuc perageretur, vulnus vesicæ densæ, cartilagineæ, imò scirrhosæ, non coaliturum. 4°. Hisce iisdem difficultatibus fortassis etiam alios permotos fuisse, ut operationem prudenter à sese declinarent; ac proinde eâdem nobis non succedente, aut justam deprehendi, aut saltem iniquam ca-

lumniandi causam, nos iisdem præbituros.

Sed ab alterâ parte considerabamus, 1°. Patrem, alioſque, qui nobis puerum commendabant, id ardenter desiderare; 2°. vires ejus aptas ad subeundam sectionem; 3°. ex reditu doloris ad degenerationem partium paulò fortè meticulosiùs concludi; cum *Uva ursina* haud sufficienter adhibita fuisset; 4°. vesicæ validam circum Calculum contractionem, indurationemque, tum operationi, tum vulneris consolidationi impedimento quidem fore; attamen id nondum certò constare. Cavis namque in viscеribus nunc summam observari contractionem, nunc iterùm relaxationem; adeòque ad eorum contractionem semel iterùmque perceptam, velle eamdem perpetuam credere, iniquum fore. Argumento esse experientissimi *La Motte* observationem, qui tertio jam die uterum contractissimum, unà cum suo Collegâ offendens, partumque lege naturæ impossibilem credens, demùm Parturientem DEI solius auxilio commendaturus abituruſque, ultimo tandem explorare tentabat, jamque mirabundus contractionem ita relaxatam deprehendebat, ut breviorem commodiorem-

que partum vix unquam vidisset expertissimus Embryulcus. Sed etiam mutuæ nostræ circa vesicam urinariam experientiæ, mutuam nobis memoriam refricabamus. Adeòque nec hoc operationem impedire oportere, si novâ exploratione contractionis relaxationem deprehenderemus. 5°. Denique si ad sectionem rationes sufficienrer probabiles adessent, quæ sartam nobis tectamque conscientiam redderent, famæ detrimentum omnium postremum esse oportere, ad quod ii attenderent, quibus proximi salus unicè ante oculos versaretur.

Sectionem igitur concludentes, instituimus eam die 26. Maii, præsentibus Magnifico Archiatro A. *Storck*, Clar. Viro *J. Gasser*, dignissimo nostro Anatomes Professore, Viro expertissimo *L. Erndl*, Physico in Nosocomio Civico, Medico prudentissimo, optimo Chirurgo Cæsareo *Homburg*, dexterrimo ad *S. Marcum* Chirurgo *Reigberger*, Nosocomii Assistentibus, aliisque.

Catheterem, Itinerarium in operane dictum, non nisi magnâ cum difficultate Operator *D. Leher* induxit, sanguine denuò ex uretere profluente: eo verò intra vesicam admisso, urina mox

jactu valido & continuato, Catheteris aperturâ prosiliit, ipseque Catheter commodè in vesicâ movebatur. Itinerarii apice obliquè ducto, ut ferè 15. gradus notasset in quadrante circuli, si angulus rectus à centro Itinerarii & ad medium Perinæi & ad latus ductus fuisset, fiebat sectio sufficiens. Cujus longitudinem cernens Operator, eamque, Calculi magnitudine per anum exploratâ, majorem intelligens, non usus est instrumento famosi Lithothomi *Le Dran*, quo in longitudinali sectione adhuc alia fiat, quæ latus sectionis externum in angulos rectos secet, ut Calculo majus spatium paretur: eo, inquam, instrumento ob vulneris amplitudinem haud egens, illicò Conductorem, & extracto Itinerario, Forcipem introduxit. Verùm cum simul Calculum digito in vulnere prehenderet, Conductorem Forcipemque extraxit, ac digitis Calculum prehendit eduxitque. Vix quinque minutis tota operatio durabat. Ejulans eo usque puer, mox ad visum Calculum præ gaudio exclamabat, veluti hoc momento omnium ærumnarum oblitus. Calculus ovalis, asper, sed mollior; ut si Forfice captus fuisset, exteriore sui parte omninò abiisset in grumos par-

voſque lapillos. Erat ponderis unc. 1. dr. 1. ſcrup. 1. Potuit Chirurgus facilè perluſtrare veſicam, alium Calculum grumoſve quærendi causâ. Vulnus illicò plumaceolo texit, & emplaſtro; repoſitoque in lectum puero, ventrem tepido oleo roſaceo totum inunxit, ac mappâ laneâ texit. Emulſionis leviter Paregoricæ, & juris carnium portio modica dabatur alternatim.

Fortunatiſſimam ſectionem horrida Symptomata, à nobis ſanè non prævisa, ſequebantur. Poſt meridiem quippe Febris magna, veſperè ad octavam maxima, oriebatur; unà cum peſſimo Peripneumonicorum Roncho, tenſoque, & aſſeris inſtar duro, abdomine. Quare mox novem unciæ ſanguinis brachio detractæ, & emolliens cataplaſma ventri, oleo benè inuncto, admotum eſt. Ingraveſcente autem poſt mediam noctem Febre, Roncho, tumore, ac duritie ventris, repetita venæ ſectio fuit. Summè pleuriticus utriuſque miſſionis ſangninis fuit. Exinde ſenſim decrevit Febris, ac Febricula modò per aliquot dies adfuit; urina per vulnus benè efſluxit, puſque quarto die ad bona labia deprehenſum eſt. Eluebatur porrò veſica ſæpiùs decocto hordei cum oleo lini,

ne quid heterogenei in eâdem maneret. Emulsiones Paregoricæ diù continuabantur.

Sed de Urethrâ nunc cogitandum erat. Vulnerata quippe hæc toties per Catheterem, nec ampliùs stillicidio urinæ consueto aperta, sed collapsa, nunc facilè coire obturarique poterat, omni urinâ per vulnus effluente. Cum à secto Calculo nonnulli per omnem vitam urinas vulnere stillent, sive ob vulneris non coeuntis malignitatem, vel ob Urethræ coalitionem, metuimus molestissimum hoc turpissimumque incommodum à posteriore causâ. Unde liquorem in Urethram quotidie injiciendum esse decrevimus. At verò læti advertebamus maturum urinæ per Urethram stillicidium, ideòque destitimus incepto. Tandem hortatu multisque promissis, puerum deduximus ad consuetudinem urinam in vitrum reddendi: unde clauso penitùs, exactâ septimanâ tertiâ, vulnere, ac cicatrice obducto, urinam deinde semper debito tempore retinuit, & in vitrum aut matulam reddere consuevit.

Attamen necdum absoluta cura nostra. Glutinis, Calculum vesicæ comitari soliti, & aliquoties puris, copia notabilis in fœtente urinâ quotidie adparuit.

An id reſiduum ejus, quod Calculi tempore in veſicâ præſens, injectionibus ablui, præ tenacitate non potuerit? Et an veſica hinc inde exulcerata à Calculo potuerit? Igitur mox *Uvam urſinam* dedimus, quâ continuatâ urinæ fœtor paulatim emendebatur, & pauculum ultra illius materiæ non prodit.

Quàm pulchrè hæc Lithotomia confirmat ſententiam, quam ſupra, de vatiâ amplitudine & contractione viſcerum cavorum protulimus! Hinc rarò deſperandum. Prudentiâ tamen ſemper opus eſt, ne veſicam, quo tempore adeò contracta eſt, importunè lædamus. Numquid, ſi ter, quater, eamdem contractam invenimus, ipſam irreparabiliter contractam eſſe concludamus? Fortè ſic eſt: ſed per vices contrahatur laxeturque, fieri id poteſt, ut ſæpiùs in contractionis tempora incidamus, & ut ea tamen haud perpetuò contracta maneat. Ita ut ne tunc quidem, ſine ulteriore examine, animum deſpondeamus.

§. V. Eſt hâc occaſione de alio Calculoſorum phænomeno diſſerendum.

13. Julii hujus anni ad me venit Civis *Cremzenſis*, vir 34. annorum, qui per 28. annorum ſpatium verus Li-

thiaſeos Martyr, cum ardore nunquam non minxit rubram arenam, Calculos autem nullos. Evacuavit ſubinde olim, & nunc ſæpiùs ab octo retrò annis, copioſiſſimam albam glutinoſam materiem; quæ pauculo tempore ſibi relicta, friabiles format, albidoſque lapillos. Et hæc quidem in quiete. At ſi corpus itinere aliove modo movet, urinam fuſcam ac ſtrangurioſam deponere ſolet. Lapillos hos, quorum copiam habeo, diceret quis cretæ albæ majora eſſe minoraque fruſta, ad figuram demùm vaſis, in quo urina ſervatur, formata. Incredibile quantum Miſerrimus ille intra menſis ſpatium *Uvâ Urſi* mutetur, idque jam ejuſdem initio: ut certè ſpem magnam faciat ſummi ſolaminis.

Juvat hîc phænomenon referre, quod 20. abhinc annis obſervavi, unà cum celeberrimo Viro *W. Ouwens*, *Franequeræ* Academiæ in Medicinâ Lumine, ac Celſiſſimæ Principis *Arauſianenſis* viduæ Archiatro. Calculoſus puer *Hagæ Batavorum* utebatur famoſo Anglorum remedio, *Joannæ Stepfens*, dicto; quod conſtat pulvere, decocto, & pilulis. Pulvis componitur ex putamine ovorum & limacibus, domiportis dictis, omnibus verò calcinatis. Decoctum fit

ex Sapone Hiſpanico, ſeu Veneto, ex calcinatâ herbâ dictâ *Ambroſiâ campeſtri*, *Floribus Chamomillæ*, Fol. *Fœniculi dulcis*, *Petroſelini & Bardanæ*. Pilulæ parantur ex Domiportis calcinatis, ſemine *Paſtinacæ ſylveſtris*, ſeu *Elaphoboſci*, & *Lappæ majoris*; tum ex Fructibus *Fraxini*, *Rubi Idei*, & *Oxyacanthæ*: horum omnium calcinatorum aa. q. s. Cochleare pulveris cum unc. IV. Saponis Hiſpanici, & Mellis q. s. in pilulas redigitur.

Videbamus porrò hunc puerum, magno cum Parentum gaudio, cum urinâ quotidie emingere fragmenta alba, lapidea, vel calcarea; ejus quidem formæ, ut adparerent veluti excorticantis ſe Calculi ramenta eſſe. Quamvis autem longo tempore ejuſmodi materiem copiosè redderet, Calculi tamen ſymptomata ideò non mitigabantur, neque imminutus deprehendebatur Calculus. Ita quidem, ut tandem poſt collectam magnam ramentis hiſce repletam pixidem, puer ſectione liberari à magno Calculo deberit.

An ergo in corpore illius pueri idem à glutine, in veſicâ Calculoſorum contento, productum eſt, quod in Cive *Cremzenſi* ab eâdem materiâ in vitro

aut in matulâ? Et quidem ita, ut indureſcens lapideſcenſve hoc gluten, primò adhæſerit circum calculum; deinde fragile nimis, per ramenta cum urinâ prodeuns, exfoliati in dies Calculi ſpecie deceperit? Utique ſi binos hoſce caſus inter ſe conferamus, videremur ejus ferè convicti eſſe, quod talis ſit calculoſæ urinæ diſpoſitio, ut quandoque ſuo in glutine, ſive dum intra veſicam eſt, ſive extra eamdem, petrificantem, ut ita dicam, hanc materiem gerat. *Cremzenſis* enim nihil ſumpſit, quod ullam habeat cum *Stepfeniano* remedio affinitatem; ut exactiſſimo examine, iteratò inſtituto, certus novi. Hanc autem ſententiam confirmabit afferendum deinceps ex Clariſſimo *Adamo* exemplum.

Contrariam tamen concluſionem ſequentia videbuntur ſuadere. Rev. *Jacobus Kirkpatrik*, in edito morbi ſui Diario narrat ſe, poſtquam 17. annorum ſpatio Nephritide calculosâ & veſicæ Calculo laboraſſet, Stepfenianis Medicamentis ab Octobri menſe 1738. uſque ad Aprilem 1739. ſedulò uſum eſſe, & quod nunquam antea ſibi contigerat, jam ab initio curæ ſe ejuſmodi fragmenta cum urinâ excreviſſe, idem-

que, & durante totâ curâ, & poſt eamdem, continuaſſe : ita ut majora minorave fragmenta numero 1036. eminxerit, prætereaque quinque parvos lapillos.

Sed ſecundò idem *Kirkpatrik* ſæpenumero in matulâ ſuâ advertit illud ipſum glutinoſum urinæ ſedimentum, in ſimilem, ſed ſæpè craſſiorem, magiſque lapideam, abiviſſe ſubſtantiam. Egregius *Morandns in Act. Acad. Reg. Scient.* anni 1740. in ſuâ primâ Diſſertatione ſuper *Stepfenianis* Medicamentis, obſervationes nobiſcum communicans, quas circa 40. homines, iiſdem uſos, juſſu Academiæ fecerat adnotaveratque, aſſerit illos homines paſſim omnes ſolere; *Communément ils ont rendu* &c. ab ipſo remediii principio, cum urinâ gluten, albumque deponere ſedimentum; quod dum ſervaretur, atque ſicceſceret, in flavum pulverem abiret; huncque pulverem, dum igni imponeretur, animale quidquam redolere. Plures porrò non niſi ſolam materiem produxiſſe; alios autem etiam veluti *cryſtallizatas* laminas, Talco perquàm ſimiles; alios ſquammas lapideas, eaſdemque convexas; nonnullos dura fragmenta Calculi; quoſ-

dam denique lapillulos. Additque eos, qui ante remedii uſum rubram mingere arenam conſueſcerent, eamdem ſub remedio ultra non reddere.

His ita utrinque poſitis, qui ab unâ parte conſiderat in glutine Calculoſorum, qui *Stepefenianâ* medelâ nunquam uſi fuerint, hanc calcariæ lapideæ materiæ geneſin haud ita deſcriptam eſſe; & è contrario eamdem à glutine urinæ eorum, quibus hæc medela exhibita fuerit, ferè inſeparabilem; in eam facilè ſententiam abire forſan poteſt, quod ab eodem remedio miſeranda ad Lithiaſin Diatheſis paſſim generetur, illudque ideò augere potiùs Calculum, quàm ſolvere conterereque debeat. Contrarium quidem laudatus mox *Morandus* in alterâ ſuâ Diſſertatione *Act. Academ. Reg. Scient. Pariſ. anni* 1741. evincere conatur; dum Calculum hominis, qui poſt ejuſdem remedii uſum, crudelitate morbi auctâ, periiſſet; dum duos alios Calculos binorum, quos remedio fruſtra uſos ſectione ſervare oportuiſſet; plenos invenerit inæqualitatibus, crenis, foraminibus. Fateor, cum claro hoc Scriptore in eamdem olim ſententiam abiveram, præ argumenti probabilitate: ſed ab eâdem diſcedere

obſervationes poſtmodum captæ, jubent, cogunt.

Obſervo enim 1°. & civem *Cremzenſem* lapideam hanc, aut calcaream materiem abundanter reddidiſſe, licet nec hoc famoſo olim remedio, nec illi conſimili, unquam uſus ſit; & *Haganum* puerum, poſt tantam emiſſæ hujus materiæ copiam, nullam Calculi ſectione educti ſolutionem exhibuiſſe. Conſidero 2°. præclaram remedii famam velociùs fortè evanidam, quàm natam fuiſſe; ipſoſque *Britannos*, ab octo & pluribus retrò annis, in Aquâ Calcis cum Sapone, vix ullâ *Stepfeniani* remedii factâ mentione, omnem fiduciam collocare. Sed dico 3°. ejuſmodi Calculos inæquales, ac veluti corroſos, foraminoſos, hinc inde pumicoſos, frequenter reperiri in his, qui illud remedium non adhibuerint; haſque præterea inæqualitates Calculi æquè ab adpoſitâ inæqualiter materie, quàm ab eâdem ſolutâ & ablatâ, produci poſſe.

Fuiſſe tamen, quis oggeret, quos obſervationes allatæ integrè curatos affirment. Reſpondeo nondum convincentia, quæ id ſtatuant, argumenta eſſe. Equidem copioſior Calcis Saponiſque uſus multis profuit, ut Nobiliſſimo *Ho-*

*ratio Walpole*, ut Homini noſtro *Part. 2. Rat. Med.* ut ibidem *Viro militari*, & ut novum exemplum adhuc præ oculis habeo. An verò ideò, qui remedium *Anglicanum* ſine noxâ tolerantes, levamen inde experiuntur, curati dici debeant? Et *Kirkpatrik* & reliqui Angli Gallique, quos inde curatos fama ferebat, vix notabili tempore à remedio deſtiterant, dum promulgarentur eorum curationes. Imò ipſe *Kirkpatrik* vix ab illo ceſſaverat, quin lumborum ſe vexari dolore denuò conquereretur; quem tamen in gratiam, ut apparet, remedii, Lumbagini, quàm Nephritidi, acceptam ferre maluit.

§. VI. Sufficiat porrò, occaſione experimenti civis *Cremzenſis*, ea argumenta attuliſſe, quæ *Anglicanum* Medicamentum laudent vituperentque. Supereſt meam paucis opinionem dicam, quam novo experimento fundabo.

Urinas enim varias Calculo laborantium collegi, gluten inde ſeparavi, & in aëre aperto, limpidâ urinâ abjectâ, poſui. Brevi glutinoſum hoc exaruit, & dr. 2. aliquando dr. 3. materiæ lapideæ ad figuram vaſis formatæ exhibuit. An autem non detur Calculoſus, quin idem phænomenon in ejus urinâ adpareat,

nondùm aſſero ; ſufficiat experimenti demonſtraſſe frequentiam.

Summa ergo rerum hæc eſto : Quivis homo, etiam ſaniſſimus, Calculi rudimenta in ſe habet, eò quòd ſolida corporis continuatâ vitæ actione deterantur, abradantur, humoribus miſceantur, & magnam partem per urinæ vias eliminentur de corpore. Hinc etiam pro magnâ parte oritur terra illa ſubtiliſſima, quam Chemiæ in urinis invenit. Nullam inde labem ſanus homo habet ; quia ex alimentis tantum ac tale deperditorum loco adplicat, quantum & quale deperditum fuerat : deinde cum nulla in itinere obſtacula terrea hæc materies offendit, innoxiè integrèque de corpore eliminatur. Huic nunquam Calculus naſcetur. At verò ſi contingat vel minimum corpuſculum alicubi hærere, ut v. g. fibrillæ portionem ſuppurando ſolutam, aut tantillum puris morâ exſiccati, aut grumum ſanguinis, &c. id tunc inde proficiſci poteſt, ut terreæ materies ad ejuſmodi obſtaculum retardetur, adplicetur, & adhæreſcat : id quod dum continuò ſic pergit, ideam Calculi nobis facilè format.

Sed 2°. Experimenta, ut vidimus,

docent in urinâ Calculoſorum multorum copioſam materiem terreſtrem haberi, quæ in his citò, in illis tardiùs; in quibuſdam ex ipsâ urinâ ſtagnante, in aliis duntaxat ex aſſervato poſt effuſam urinam glutine; cretam quamdam lapilloſque formet. Quæri hîc poteſt, num omnis illa cretacea materies tantummodò à ſolidis humani corporis detritis? An verò dentur alimenta potulentaque, quibus ſubtiliſſima hæc terra contineatur; quæ idoneo vehiculo miſta, Lacteorum oſcula ſubeat, cum ſanguine commiſceatur, ab eodem per urinam abluatur? Sanè Regiones, in quibus Calculoſos vix invenire eſt, ut v. g. multi *Lombardiæ* loci, ejuſmodi ſuggerunt ſuſpicionem.

An præterea calculoſam Diatheſim id demùm appellemus, quod efficiat, ut terreſtre id, quod in aquâ, quod in alimentis, quod in vino eſt, minùs ſubigatur, ad ſanguinem vehatur, cum ſanguine commiſceatur, iterùmque humorum circuitu, ac vi vitæ non mutetur, & in renibus tandem cum urinâ ſecernatur.

Nunquid etiam Arthritica materies eidem producendæ apta? Utique, cum Arthritidem ultimæ digeſtionis defec-

tus efficiat, videntur minima quædam elementa terreſtria immutata manere; eaque ut ad juncturarum arteriolas adplicantur, ita etiam ad eas renum adplicari poſſe, & urinas generare calcareas. Hujus mentis Clariſſimus *Adamus* eſt, in Diſſertatione anno 1740. editâ, occaſione ſexagenarii hominis, qui perpetuò rerum aut ſaccharo aut lacte paratarum impenſus amator, Arthritidi, quoſvis occupanti artus, obnoxius ultra 20. annos vixerat; dolorum verò pertæſus, eoſdem novem abhinc annis Theriacæ emplaſtro ſopiverat. Unde in periculoſum morbum primò prolapſus, dein anomalam prorsùs Arthritidem in multis internis corporis partibus per vices expertus erat; à quinquennio autem acerbos veſicæ urinariæ dolores crebrò repetentes, Dyſuriam, & varia alia Calculi veſicæ Symptomata. Biennium erat, quòd ramenta calculoſa, nucum putaminum inſtar concava, copiosè emingeret; annus autem, quòd his ramentis abſentibus mucum cum urinâ redderet, qui in cretaceam abire materiem ſoleret. Et quod præprimis notandum, Podagræ acceſſu lotium eo muco carebat; Podagræ receſſu ſcatebat eodem. Confirmat deinde hanc ſuam de Materie

Arthriticâ ideam Author eruditus variorum Scriptorum teſtimoniis. Quin etiam exemplis demonſtrat calcaream Arthriticorum materiem non modò ad vias urinarias, ſed quoque ad quævis alia corporis loca concretiones producere lapidoſas.

Sanè quæ mihi hanc ſententiam probabilem reddant, plures habeo rationes. Arthriticum hominem Noſocomium XV. menſium ſpatio aluit, qui ab annis quindecim tum colli vertebris, tum pedum manuumque ambarum articulis, calcaream materiem excreverat, & etiamnum excernebat. Primo tempore urinam pallidam & admodùm furfuraceam emittere ſolebat; ultimo ſemianno, multo ſemper pure, unà cum furfuribus onuſtam; denique multis ante obitum diebus, & limpidam & pauciſſimam. In cadavere nullus ullibi puris fomes: verùm ipſe ſanguis, qui incredibiliter paucus in corpore ſupererat, adeò polypoſus fuit, ut vix guttula ejus inter ſecandum prodierit; quod, ut obiter notem, clarè ea confirmat, quæ *Part.* 2. Cap. 2. de *Puogeniâ* ſcripſeram. Quod autem maximè ad rem noſtram; Renes ambo in corticali ſuâ ſubſtantiâ craſſi & ampli,

omninò arenoſi erant, ita ut quâcumque in parte nitido ſemper cultro ſecarentur, novem ſemper arenam proferrent. Quippe calcarea materies hujus Podagrici, partim ad renes delata, videbatur jam urinam calcaream productura fuiſſe, niſi eadem vaſorum urinam ſecernentium ora obſtruxiſſet, hincque tum urinæ ſecretionem ferè impediviſſet; tum ipſam corticalem renum ſubſtantiam reddidiſſet arenoſam. Calculoſus cæterùm nunquam fuit.

Præterea relatus à *Sigiſmundo Koenig* ad Societatem *Anglicanam* caſus Juvenculæ, quæ poſt enormes artuum dolores demùm in plurimorum, eorumdemque majorum, Calculorum vomitum inciderat: deſcripta *Weiſmano* Hiſtoria quinquagenariæ, quæ crudeles Arthritidis dolores perpeſſa, tandem tum Inteſtino Recto, tum ipsâ vulvâ, plurimos excreverat lapillos: notata denique ab ipſo Clar. *Adamo* enarratio *Schneideri* de Invictiſſimo Imperatore *Maximiliano II.*, qui Podagrâ graviſſimâ conflictari ſolitus, Calculos in corde geſſiſſe poſt mortem invenibatur: hæc, inquam, omnia Cl. Viri ſententiam mirificè fulciunt.

Porrò quod concavas Podagricus ejus

reddat has concretiones, id vel ideò eſt, quod Calculum in veſicâ habeat, ad quem adplicata hæc materies, hanc formam induat neceſſe eſt, vel quod veſicæ ipſi, fortè contractæ, qualis Calculoſorum frequenter reperitur, ſe adplicando, eam figuram adipiſcatur. Prius tamen enarrata Symptomata probabilius reddunt; & Catheteris, quem non adhibuerunt, ope, certum, ni fallor, fieret.

Tandem 3°. compertum eſſe vidimus, calculoſos homines ab *Anglicano* medicamento ſic diſponi, ut materies illa, toties deſcripta, jam in ipsâ eorum veſicâ lapideſcat. Infauſtum ergo remedium hoc tam à priore dici deberet, quàm tale eſſe experimentis comprobabatur.

§. VII. Ex omnibus hucuſque dictis evidens demùm fit binas noſtras in Calculo Methodos cæteris omnibus, hucuſque per alios laudatis, tum præſtantiores eſſe, tum conſtantiores. Curæ enim id mihi fuit, ut, quotquot eorum, qui alterutrâ curati, indagari potuerant, quærerentur, examinarenturque ſedulò, utrùm ab omnibus Symptomatibus immunes eſſe perſiſterent, necne; ut demùm, ſi relaberentur, ge-

nuinam relapsûs hiſtoriam cum Publico communicarem; at verò curæ perſtant. Prima noſtra Methodus verè *Britanica* eſt: eamdem tamen, æquali copiâ lactis ad aquam Calcis adjectâ, promptiorem felicioremque invenimus. Unde etiam eamdem *Stepfenianâ* Methodo, licet nonnulla cum illâ communia habeat, tum efficaciorem, tum humano corpòri per omnia tutiorem exiſtimamas. Altera verò Methodus, quam compendii causâ, noſtri Noſocomii Methodum, Illuſtriſſimo autem Præſidi gratus habeo, numero plurimas conſtantes curas effecit.

Facilè ex his omnibus patet, nec in noſtris remediis, nec in omnibus per alios recenſitis, vires ineſſe Lithontripticas, quantumcumque id de ſuis multi jactitarint. Experientia ſanè convincere omnes debuit, tum in paucioribus his, quos, *Anglicano* medicamento dudùm fruſtra adhibito, ſectione liberare à Calculo oportuit, tum in omnibus, quibus remedia noſtra profuêre. Quippe fuimus in eo Chirurgis Gallis fortunatiores, qui, teſte *Morando*, à nemine eorum, quos *Stepfenania* remedia juverant, id obtinere potuerint, ut ſe denuò Cathetere examinandos præberent:

dum interea noſtri voto morigeri, Calculi, ejuſque nonnunquam aſperioris, præſentiam nobis demonſtrarint.

Nunquid tamen Calculus Veſicæ, longiore tempore in Aquâ Calcis maceratus, non ſolvitur? Solvitur certò multorum menſium ſpatio, modò Aquæ Calcis aditus detur ad Calculum, auferendo ſæpiùs id quod in ejus circumferentiâ pumicoſum ab aquâ redditum fuerat; cæterùm minimè; ita demùm trium menſium ſpatio ſolvi præcipuam majoris Calculi portionem. Similiter in experimentis ſuis Calculos in Aquâ Calcis ſolvebat Doctiſſimus Vir *Carolus Alſton*, famoſus Profeſſor *Edimburgenſis*, ſcriptis clarus. Videatur in egregiâ ſuâ *Diſſ. de Calce vivâ, & Aquâ Calcis.* Verùm in Veſicâ humanâ neque Calculus ſcalpello abraditur, neque illibata virtus Aquæ Calcis ita veſicam ingreditur, ut in experimentis noſtris. Non mirum ergo hominem, qui 1600. libras Aquæ Calc. ſpatio ſex menſium biberet, jam poſt tertium illibatæ valetudinis annum adhuc Calculum in veſicâ gerere, ut exploratione Catheteris conſtat.

Quærat porrò nemo à me, quî fieri id, quî concipi queat, quod homo

Calculum in urinario ſyſtemate gerens, ſecernendi tamen exercendique urinam perfectam exerceat functionem; & adeò indolens vivat, ac ſi Calculum non haberet? Sufficiat rem, captu difficilem, obſervatu conſtare. Præcedentibus Partibus, maximè tertiâ, Obſervationis frequentiam plurimis exemplis demonſtravi, quæ exempla ab Authoribus notata collectaque fuerant, priuſquam Quæſtio præſens exiſteret. Nunquid ſive in humoribus humanis, ſive in ipſo urinario ſyſtemate, aliquid exiſtit, quod applicatum Calculo, dolores Spaſmoſque excitet; quodque ipſum in quibuſdam corporibus vel minimè, vel haud ſufficienter adſit, ut creet dolores? At hinc ratio petenda, cur inter diuturna tormenta Calculoſorum nonnulli lucidis fruantur intervallis? An tandem Calx, & potiſſimùm *Uva urſina* id in humoribus, aut ſyſtemate urinario, demant, abſorbeant?

# CAPUT VI.

## DE ANEURYSMATE.

§. I. *Duo Aneurysmata curata, & Part. 4. descripta, egregiè curata monent.* §. II. *Aneurysmata non rarò cognitu difficilia, imò etiam impossibilia. Probatur primo exemplo Aneurysmatis ad Poplitem, quod ad vitæ finem usque Chirurgo imposuit. Anatome. Disquiritur an homo culpâ Chirurgi periisse credendus sit? Animadversio in Practicos, quibus Collegarum honori detrahere volupe.* §. III. *Probatur idem secundo exemplo inventi ad pectus Aneurysmatis. Sequuntur ad hos duos casus Corollaria Medico-Chirurgica. Quandonam compressio Aneurysmatis externa prodesse queat, nocere debeat.* §. IV. *Origo ac celer progressus Aneurysmatis arteriæ popliteæ, & amputatio cruris. Considerationes Medico-Chirurgicæ circa arteriarum interceptiones, ac Fungi Agarici ad abscissas arterias adplicationem. Hæmorrhagia lethalis, quamvis tanta adhibita esset in operatione prudentia. Anatome. Problemata circa hoc infortunium.*

*nium.* §. V. *Varia Phænomena Aneurysmatum internorum, eademque palliandi Methodus.*

§. I. DEDI anno proximè priore duarum fæminarum historiam, quarum altera compressione simplici, altera operatione, ab Aneurysmate in brachio curatæ fuerant. Caput præsens compositurus, jussi ambas in urbe quæri, & ad me adduci, quò constantiam curæ inconstantiamve cum Publico communicarem. Lætus vidi utriusque perfectam curam fuisse, ambas sanissimas esse, omnemque, quem vellent, motum brachio exercere posse. Unicè modò conquerebantur, quòd ad mutatas tempestates ingrata titillatio affectam olim arteriam afficeret.

§. II. Cognitio Aneurysmatum utinam certior esset; signisque munita Pathognomicis desisteret turpissimis erroribus ansam præbere! Hinc infortunia, quæ vel mihi, vel aliis, defectu horum signorum, contigerint, candidus enarrabo: quò demùm aut majorem in Diagnosi certitudinem, aut majorem saltem in pertractando eo prudentiam omnes adipiscamur.

Homo 37. annorum per omnia sanus, mense Octobri 1759. Erysipelate ad internum sinistri pedis malleolum se laborasse narrabat; eoque evanido, dolorem se ad ejusdem cruris Poplitem percepisse, deprehendisseque ibidem tumorem, qui mole ac dolore in dies augescceret. Hisce compescendis Emplastro Oxycroceo admoto, non modò tumorem ac dolorem Poplitis auctos esse, sed integrum crus pedemque occupasse.

Hæc porrò narrabat Chirurgo, quem medio Januario hujus quem vivimus anni, ad se vocabat. Attentè exploratis ille omnibus, detexit ad caput internum ossis tibiæ quemdam veluti materiæ strepitum; in medio verò ejus, externoque capitis latere, materiem fluctuantem. Quantumcumque rem examinabat, malum à vi quâpiam externâ originem ducere deprehendere non potuit. Itaque crus ac pedem vehementer inflammatum esse cernens, cataplasma emolliens circumposuit illi. Alterâ die pars affecta abscessûs similitudinem hinc inde exhibuit, observatusque antea strepitus conticuit. Die tertio, crure ac pede detumescentibus, maturum ferè abscessum Poples referebat. Die 19. Jan.

turgens pure tumor, ac veluti pus hinc inde transſudando propellens, levi ſcalpelli ictu dilatabatur, effundebatque mox purulentam materiem, ſed ſimul 4. vel 5. cochlearia ſanguinis. Levamen tantum, ut in dies redeuntem ſanitatem æger aſſereret. Nitroſis emulſis interea utebatur. Sexto verò demùm ab apertura die, quis crederet unquam! Hæmorrhagiam aduſque animi deliquium paſſus eſt. Involvit ligavitque, quâcumque poſſibili arte, partem. Adveniens mox Chirurgus citra guttulam effuſam ſanguinis totum abſtulit adparatum. Sanguis igitur ultra non effluxit; debili tamen ægro ronchus in pectore auditur, defecit reſpiratio, & 12. horis ab Hæmorrhagiâ elapſis moritur.

Re ego perceptâ, ad ædes me contuli, & emptâ examinandi veniâ, Aneuryſmaticum ſaccum pugni magnitudine inveni, qui ex parvâ origine, ſuo in collo vix digitum craſsâ, in enormem hunc ſaccum abiverat. De corpore ablatum in liquore ſervo.

Facilè prævideo multos his lectis fore, qui ſuis in arte Collegis condemnandis aſſueti, in Chirurgi ſive ignorantiam, ſive imprudentiam, acriter invecturi ſint, ac ſi miſerandus ille homo Chi-

rurgi culpâ periiſſet. Verùm antequam eò perveniant, rogatos eoſdem volo, ut, vacuo à præjudiciis animo, ad ſequentia mecum attendere velint.

1°. Aneuryſmati generando nulla cauſa violenta præceſſerat. 2°. Nulla Aneuryſmatici tumoris ſigna ex anxietate ad compreſſionem, vel ex ejuſdem pulſatione, aderant. 3°. Strepitus quidem percipiebatur; ſed cum is & in Aneuryſmate aliquando, nonnunquam etiam in tumoribus purulentis & aquoſis obſervatur, ad quos Emphyſema, ſive ob aëris acceſſum externum, ſive ab ejuſdem generatione internâ, accedit; hinc cum nulla alia Aneuryſmatis indicia adeſſent, ſtrepitus loci ad aliam longè originem, quàm ad Aneuryſma, referendus videbatur. 4°. Sex diebus continuis, apertus tumor pus, nullum verò ſanguinem dedit; id quod alioquin in Aneuryſmate, ablatâ reſiſtentiâ, impoſſibile videtur. In aperturâ quidem ſuâ aliquot effluxêre cochlearia ſanguinis; ſed quis Chirurgorum ignoret expanſo vaſe cutaneo, eoque perſciſſo, quamdam Hæmorrhagiam obſervari oportere? Sex ſanè dies ſine ullo ſanguine aperto de vulnere tranſacti, quamcumque Aneuryſmatis ſuſpicio-

nem, si qua nata fortè fuisset, dispu-lissent. 5°. Et qui tum in Aneurysmate, tum variis aliis in tumoribus quando-que adest strepitus, jam pridiè apertu-ræ evanuerat. E contrario 6°. commu-nis inflammationis signa, Erysipelas nempe, aderant. 7°. Hæc inflammatio primùm malleolum internum occupa-verat. 8°. Nihil verisimilius, quàm quod Erysipelas Metastasin ad Poplitem fecerit, relinquens malleolum. 9°. In-flammatio Erysipelatosa in abscessum abibat. 10°. Fluctuatio materiæ mani-festò percepta est. 11°. Aperturâ factâ, pus & mox, & sequentibus exivit die-bus.

Suam cuique sententiam integram relinquens, judico inculpatum Chirur-gum fuisse, & concludo ita persona-tum Aneurysma esse posse, ut decipiat vel oculatissimos. Quo subinde contin-gente, necesse foret quosvis cordatos Chirurgos Medicosque in defensionem ejus, qui deceptus fuerit, unitos vide-ri, & probè memores principii tum Na-turalis, tum Evangelici: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne facito.*

§. II. Confirmare idem potest histo-ria sequens. Fœmina quadragenaria 17. Junii præsentis anni me accessit, con-

querens à 3. vel 4. annis ægram ſe pectore eſſe: ſputa quippe purulenta, ſubinde ſanguine miſta, ſe reddere, cor ſibi palpitare, difficulter ſe reſpirare, vagoſque experiri dolores. Lactaſſe quidem infantem ſeſe, at verò cum indies emaciaretur, pejuſque pectore haberet, ablactaſſe. Anni ſpatio menſtruis ſe carentem, nempè lactationis tempore, nunc denuò à trimeſtri gaudere. Tandem adjunxit à Feſto Paſcharis, ex nullâ notâ ſibi causâ, puſtulam primò animedverſam eſſe ad ſiniſtri lateris thoracis coſtas, & quidem eo à latere ſterni loco, ubi cartilagines infimarum coſtarum penè uniuntur, ſterno jamjam inarticulandæ. Parvam quidem dudùm manſiſſe, à quatuor verò retrò ſeptimanis in tuberculum caſtaneæ magnitudinis abiviſſe.

Tumor examinatus, non pulſans, ſed durus & elaſticus, veram ſuî non determinabat naturam. Eo igitur Emplaſtro Diabotanon tantummodò tecto, curam ad Phthiſin Pulmonalem potiſſimùm direxi. Spatio trium ſeptimanarum nihil in tumore mutabatur; eo verò elapſo ſenſim emolleſcebat, ſita ut 17. Julii Apoſtema perfectum referret, manifeſtaque puris fluctuatio ge-

nuinam tumoris naturam nunc determinare videretur.

Suspicio itaque indurati, scirrhosi, aut cujuscumque aliûs mali, prorsùm evanuerat; certitudo Apostematis aderat, adeòque ejusdem apertura vel ideò maximè suadenda erat, quòd Pulmo suppuratus fortunato casu viam sibi extrorsùm quandoque capessat; quâ diu apertâ internum ulcus demùm evacuetur & saneſcat. Duos ejusmodi casus sub oculis præsentes habebamus; tertium, eumque tristem lugentes, eo quod, contra monitum nostrum, Balneator salutare hoc incommodum præposterâ suâ arte deleviſſet, ægerque jam hecticè consumeretur. Et quartum casum tractabamus, jam vel ideò desperatum, quòd tumor à naturâ extrorsùm ductus, sed ruptus necdum, iniquâ verò Chirurgi arte retropulsus evaniduſque, nunc eumdem in locum à nobis revocari nullatenùs posset.

Igitur tumorem aperuimus, pusque & album & coctum eduximus. Erat autem pus illud ratione tumoris parcius; in fundo autem durius quidquam supererat. Igitur tumorem partim maturum, partim crudum esse concludentes, digestivum imposuimus, & Empl.

Diach. c. gum., ſcopo maturandi totum teximus. Biduo elapſo rediit. Horreſcebamus. Loco expectatæ maturationis Pulſus ibidem fortiſſimus in totâ latâ baſi tumoris, digitumque repellens, obſervatur: digito verò per aperturam immiſſo, horrendum Aneuryſma obſtupeſcimus. Itaque mox conſolidandæ aperturæ gratiâ, Emplaſtrum ad Rupturas Fernelii impoſuimus, integramque ferè conſolidationem ſpatio trium ſeptimanarum obtinuimus. Deinde tumor Aneuryſmatis ſenſim eſt imminutus, & in toto tumoris ambitu ſub coſtis manifeſtum Aneuryſma pulſationis vehementiâ percipitur. Ita ut quod primò detectum fuerit, id modò veluti appendix ſit, quæ à magno ſacco orta ſeſe inter coſtarum cartilagines inſinuaverit.

De induſtriâ bigam hanc Aneuryſmatum communicare volui, ut pateſceret 1°. nullum ferè morbum eſſe, in quo tum faciliùs tum turpiùs decipiamur; 2°. poſſe Aneuryſma gigni ſine ullo pulſu externo percepto; idque veroſimiliter tunc, quando in eodem naſcente, mox laminæ concreti cruoris ſe ejuſdem applicant parietibus; 3°. poſſe in membranâ adiposâ, naſcens Aneuryſma tegente, inflammationem ſup-

purationem ab affrictu nasci; & copiosum pus omnem ita motum suffocare, ut licet jam forsitan antea pulsatio quæpiam adverti potuisset, eadem nunc minimè percipi queat; 4°. posse etiam, educto pure, adhuc veram mali naturam latere, si tumor residuus, explicatâ ad n°. 2. de causâ, non pulset: 5°. etiam educto pure fieri posse, ut in uno casu per duos dies, in altero per sex, copiosior cellulosa substantia, nondum consumpta, debiliorem Aneurysmatis pulsationem, si qua adest, adhuc suffocet; 6°. posse quoque reliquam hanc adiposam membranam in pus converti, atque integris sex diebus omnem Aneurysmatis pulsationem, suo effluxu, amovere: 7°. videri demùm ablatâ resistentiâ, vel arteriam subitò frangi, vitamque cum sanguine profundere; vel extendi ita, ut latens olim, jam manifesta deprehendatur: 8°. consultum esse, ut in posterum, dum nobis purulenti tumores exhibebuntur, quibus aut inflammationes, aut tumores duri atque ambigui dudùm præcesserint, antequam pus adpareat; idque maximè iis in locis, ubi dura tubercula minùs frequenter, quàm in collo v. g. aliisque glandulosis in locis, purulenta pro parte fieri

ſolent; ut, inquam, hîc conſideratiſſimè procedamus: 9°. oportere demùm, ut dediſcant Chirurgi Medicos laceſſere, ut quidem Publicis Actis fecerint, jactando hos circa plurima incerta, intùs latentia, verſari duntaxat; ſe autem maximè externis, ideòque certis, occupari.

Cum optimo noſtro Chirurgo *Leber* in hunc caſum meditatus, cogitavi, num fortè compreſſio externa hîc non conduceret? Attentior verò contemplatio nos docuit, vitium in externâ arteriâ locum non habere, neque ejus ſedem, præcisè determinatam, ibi eſſe, ubi cartilagines jam junctæ firmam baſin præbeant. Veriſimile maximè ex figurâ rotundâ eſſe, quod ſaccus ſit, qui per rimam inter binas cartilagines exurgat emineatque; quippe propterea vel arteriæ intercoſtalis, vel cujuſpiam aliûs interioris, degenerationem denotet. Quia nunc egregius *Lanciſius* clarè demonſtravit compreſſionem ſimili in caſu mortem accelerare, vitalibus quippe hinc anguſtatis, ab omni externo molimine abſtinuimus. Quin & docuit eventus, ut mox monebam, pag. 324. id minimè indicari.

§. IV. Arteriæ *Poplitea* Aneuryſma-

tis novum exemplum habeo. Rarius id descriptum jam ter *Viennæ* vidi. Primum enarravi *Part.* 4. pag. 10. Alterum mox communicavi. Tertium autem sic se habet.

Lanio quadratus 32. annorum me convenit 10. Junii proximè elapsi, narrans tres modò septimanas esse, quod sura sinistra sibi intumuisset; duas septimanas, quod ad Poplitem tumorem adverterit, dolentem quidem, & mole in gradiendo auctum. Examine patuit Aneurysma arteriæ popliteæ esse, cujus mole venas comprimente, crus ad suram intumesceret, & varicosum fieret. Ab aliis postea relatum est hominem ab alto per multos gradus cecidisse, antequam de crure conqueri cepit.

Vena brachii secta est; serum lactis cum Pulpâ Tamarindorum, Rob Sambuci, ac Nitro, copiosè datum; Decoctum adstringens cruri circumpositum; Ligatura idonea, quæ ab omni parte saccum arctaret, Spir. vini rect. intincta, adponebatur; & summa corporis in lecto quies imperata est. Ut autem exactiùs omnia peragerentur, hominem in Nosocomio servavi.

Hâc Methodo sura intra quatriduum egregiè curabatur; poplitæus verò tu-

mor indies crevit, & pugni demùm magnitudinem mole æquavit; ita ut, menſe exacto, omnis per compreſſionem illum curandi ſpes evaneſceret. Unde demùm ipſi ſeriò declaravimus bina modò ſupereſſe, quorum alterutrum eligeret: vel certam mortem, ſive poſt calamitoſum martyrium, ſive inopinatam; vel amputationem ambiguam. Hanc ideò ambiguam diximus, quia & per ſe gravis ac periculoſa eſt, & neſciebamus, quàm altè inciperet dilatatio Aneuryſmatica; quæ quidem ſi amputato crure altior, vix conſtringi idoneâ ligaturâ valeret; ſin autem ligari poſſet, tamen impulſu ſanguinis novum illicò ſaccum formaret.

Reſpondit Lanio rem naturæ aliquantiſper committere ſe velle, & Noſocomio valedixit. Interea Balneatoris ſe curæ commiſit. Venam is ſecuit, multaque adplicuit. Tandem primâ Auguſti per amicos certiores nos reddidit æger de tumoris incremento & intolerabilitate dolorum; enixè petens, quò recipi in Noſocomium amputationemque inibi ſubire poſſet. Mox eum recipientes, invenimus tumorem longè extenſiorem, inque latus productum eſſe; dolores autem tantos, ut ne opio quidem largiore ſopirentur.

Hinc properandum esse rati sumus. Amputationem, præsentibus iisdem ferè Medicis atque Chirurgis, qui Lithotomiæ pag. 316. adstiterant, aliisque, *D. Leber* spatio 7. minutorum absolvit.

Quæsitum fuerat, utrùm arteriam majorem, atque unam alteramve minorem, ligaturâ, an *Fungi Agarici* applicatione, obturaremus? Considerabamus ab unâ parte ligaturam arteriæ tutissimam quidem semper haberi; non ratò tamen intercepto nervo ejusve ramulis, Convulsiones nasci, quibus ars non esset interno externove auxilio compescendis. Alterâ parte *Tom.* 2. *Acad. Reg. Chir. Par.* tria exempla invenieramus, ab egregio *Morando* relata, felicis Agarici successus in crurum amputatione. Hinc eò ferè inclinassemus. Attamen *Parisina* exempla *Cruris* referebant, non *Femoris* amputationem. Cum igitur hîc de femoris amputatione ageretur, & quidem de eâdem longè altiùs, ne quid de sacco reliqui faceremus, instituendâ, ubi certè arteria longè majoris diametri esset; præterea cum exemplum in iisdem Actis *Parisinis*, in Dissert. *D. Louis*, pag. 395. referretur, quod Agaricum in amputato crure adeò inutilem demonstrasset, ut semihorâ

elapsâ totus adparatus auferendus esset, adhibendaque ligatura ; rem dubiam experiri noluimus, sed majorem saltem truncum arte ligandum esse, minores verò Agarici fungo obturari posse, unanimi consilio decrevimus. Chirurgus itaque eo modo omnia perfecit, & soliti pulveris adstringentis loco totum vulnus Agarici Fungi pulvere crassè texit, Instrumentum tornatile quoque ad arteriam aptè comprimendam adposuit.

Hoc pacto nos ab omni Hæmorrhagiæ metu exemptos credentes, turpiter tamen nos elusos vidimus ; trihorio ab operatione, sanguine per universum transfluente adparatum, lectoque toto inde madente. Chirurgus, fasciis novis super vetera adductis, arctiùsque appresso stringente Instrumento, egoque Diacodio largiore, Hæmorrhagiam imminuimus, moderavimus, stitimus.

Saccus nunc erat amputatâ in parte examinandus. Arteria supra saccum naturalis magnitudinis demonstrabat amputationem debito peractam in loco esse. Arteria, non ut in casu pag. 319. descripto, uno latere, sed toto suo ambitu in saccum quaquaversum extensum, abiverat, excrescente sepimento membranoso, sed sursùm deorsùmque

abrupto, illum bifariam dividente. Nervus magnus adjacens totâ ſacci longitudine arctiſſimè cum eodem coiverat: ipſumque Aneuryſma cum ſuperiore portione Gaſtrocnemii inſeparabiliter connatum erat. Unde hominem ita à motu minimo doluiſſe non mirabamur; quia ſaccus nervuſque & muſculus, unam exibebant, eamdemque concretam atque confuſam maſſam. Membrana porrò ipſa poſtica ſacci, lateriſque externi, adeò tenuis fuit, ut dum vi minimâ expandebatur, dilaceraretur. Quapropter id certum, quod, dilatâ operatione, diſrumpi citò, ſubitamque facere mortem, debuiſſet.

Interim æger noſter unâ atque alterâ horâ, poſtquam Hæmorrhagia ceſſaſſet, debilitari cepit, brevi dein frigeſcere, leviorem iterùm Hæmorrhagiam pati, continuò vomere, Pulmone angi, leviter delirare, tandemque vultu convelli. Horis 25. ab operatione elapſis obiit.

Examinavimus tunc ſeriò amputationis locum. Ligatura arteriam majorem aptè claudebat; nervum autem minimè comprehendebat. Fungus vaſis ſuis per ſtrata adplicatus inventus eſt. Vulnus integrum pulvere fungi egregiè craſſiùſque tectum. Pectore aperto, cor ma-

ximum, at palleſcens & vacuum. Vacua etiam omnia vaſa majora, arterioſa, venenoſa; exiguum modò gracilemque Polypum ſuâ in axi gerentia.

Hæmorrhagiâ inter operationem, ac trihorio poſt illam, natâ, homo hic tantum amiſit cruoris, ut ſine vitæ diſpendio ultra amittere non potuerit. Levior poſtea per totum adparatum tranſſudatio abſtulit eum reliquum neceſſarium ſanguinem, vitamque ademit.

Optimè tamen cum proviſum Hæmorrhagiæ videretur, tum Ligaturâ, tum Fungo, tum Inſtrumento; quæri poteſt an Fungi hujus viribus nimiùm non tribuamus? An verò in poſterum fortè præſtaret majori arteriæ adplicare eumdem, quia habet compreſſio ſuum punctum fixum ad os; reliquas autem duas treſve arterias, imò etiam venam majorem, quæ, ligatâ arteriâ, aliquando vice arteriæ fungens, terribilem Hæmorrhagiam producit, firmâ interceptione ligare?

§. V. Aneuryſmata interna multa *Auſtria* habet. Plura curavimus Methodo deſcripta *Part.* 4. pag. 22. multa verò incurabilia manent. Habuimus hoc anno horrenda exempla, coſtarum remotarum, ſterni elevati, motus aneu-

rysmatici terribilis supra mammam dextram, sine ullo motu ad regionem cordis, &c. Hos palliatis utcumque ærumnis solamur, omnem vigilantiam adhibituri, ut post fata eosdem examinemus. Mirè interim quosdam levari sequentia demonstrant.

Juvencula fortis, torosa, bene menstruans, 24. annos nata, finiente Septembri 1759. circa inferiora sterni dolere cepit, & quoddam Emplastrum loco admovit. Sed pedetentim aliquid sub cartilagine ensiformi tumere percepit, ad tactum dolere, simulque fortiter pulsare, & somnos valde perturbatos efficere. Cum hæc ingravescerent, venit primò ad me 26. Febr. 1760. Cum Chirurgo & Assistentibus, eam examinans, deprehendi locum pulsantem, palmam manûs ferè æquantem esse, stanti quidem magis, minùs verò jacenti, percipiendum. Malum sensim cepit nocte ingravescere, ac tandem gradus conscendenti respiratio ferè omnis deficere. A pastu quoque pejus habuit. Maio mense minùs, Junio parum, Julio nihil ultra fœmina doluit; pulsatio minimè molesta superfuit modo. Ita quidem, ut jam optimè comedat, tranquilissimè dormiat, & graves ancillares labores,

indefeſſa omninò, liberaque pectore, peragat.

Ad inexpectatam hanc mutationem ſumſit totâ die ſerum lactis, cum Nitro, & Cremore Tartari; cubitum verò petens $\frac{1}{6}$ ſequentis : R. Pulp. Tamarind. Rob. Samb. Syr. Diacod. aa unc. 2. Laud. Liq. Syd. dr. $1\frac{1}{2}$. Et quia etiam nauſeoſo ac debili ventriculo, tum & ſegniori alvo proſpiciendum erat, ſumſit quovis quarto mane dr. med. Elect. Hieræ picræ. Optimè ſe nunc habens, pergit ſero lactis cum melle quotidie uti, alterno autem die Paregorico.

Dubitabit fortè quiſpiam, utrum hæc fæmina verum Aneuryſma habuerit, an potius Deuteropathicum à Ventriculo, Pyloro, Pancreate ? Idque 1°. quia haud inſolitum hîc Medicos decipi, ut exemplis patuit, *Part.* 4. *cap. de Aneur.* 2°. Quia ſigna adfuêre hærentis cujuſpiam labis in ventriculo, aut propè illum. 3°. Quia poſt multa ſolventia, & repetitam ſæpiùs quartanam purgationem inſigniter lucrata eſt ægra. Huic reſpondeo : Etiamſi res ita haberet, conferret vidiſſe, quâ demum Methodo ambiguum hoc malum ſuperetur. Attamen longè veroſimilius Prothopaticam eſſe affectionem ; cum morbus medium

annum jam emensus esset, priusquam inciperet ventriculi incommoda sibi juncta habere; & antea cum optimâ functione naturali, solo tumore, dolore ac pulsu consisteret.

Fæmina 26. annorum mense Augusti 1758. brachia in altum, onus grave depositura, extendens, medio in pectore crepitum observabat. Paulo post œdemate totius corporis affecta est; quod copioso Rob Sambuci dispuliſſe se credit. Tussis inde nata, sputumque sanguinis, vespertini quoque horrores, & pectoris dolores continui. Remediis aptis à Tussi multùm, à spuro sanguinis penitùs, ubi liberata erat, conquesta est 15. Martii 1759. internâ, eâque violentâ pulsatione os sterni sibi attoli videri. Examine instituto deprehendimus mediâ, eâque inferiore sterni parte totâ, ejusmodi pulsum, ut digiti, vi quasi, repellerentur. Cum adderet vehementiùs ibidem se ardere ac dolere, nec dorso ultra incumbere posse, suspicari Aneurysma debuimus. Tandem pulsatio, tumorque magnus, colli totius anteriora & lateralia occupabat; dumque se in lecto convertebat, os pectoris veluti sibi findi lamentabatur. Imò & supra sinistram orbitam pulsatio & dolor extende-

vinciam. Factum hinc, ut quotquot potui comparare Authores, diurnâ versans nocturnâque manu, seorsùm notaverim quid singuli quique hanc in rem commentati essent: ut propria dein observata in Chartas conjecerim: hæcque demùm & varia & multa, cum Antiquorum doctrinâ contulerim. Atque hinc tandem nata est morbi utcumque methodica cum Descriptio, tum Curatio.

Bipartitus proin erit tractatulus. Principio paucis sistet Authores, qui de hoc morbo scripsêre; simulque eorumdem morbi cognoscendi & curandi methodum tradet. Dein dabit ejusdem morbi Descriptionis & Curationis methodicè tractandæ specimen.

## CAPUT I.

### SISTENS AUTHORES QUI HUNC MORBUM TRACTARUNT, ATQUE EORUMDEM OMNIUM GENERALE ARGUMENTUM.

#### Origo nominis.

VOCATUR, de quo agitur, Morbus, *Colica Pictonum*, vel *Colica Pictaviensis*, nomine admodum improprio.

*Pictones* seu *Pictavienses* vocantur incolæ *Galliæ Occidentalis* provinciæ, cujus primaria Urbs *Pictavium* audit. *Franciscus Citesius Pictaviensis*, 1639. ediderat *Diatribam de novo & populari apud Pictones dolore colico bilioso.* Fatetur autem idem *Citesius* morbum non solis *Pictonibus* familiarem ab ipso sui initio fuisse, sed & simul *Armoricis*, *Santonibus*, *Engoulismensibus*, & toti fermè *Aquitaniæ.* Imò scribit ipse *P. Milonem*, *Henrici IV.* Medicum, hunc morbum *Lutetiæ* dudum observasse, Medicisque ejusdem adhucdum ignaris, indicasse: *Fernelium* sub idem tempus eumdem observasse sub Continuarum, Tertianarum & Quartanarum Febrium finem: *Hollerium* malum *Britonibus* familiare scripsisse: ex *Droeti* scriptis patescere in *Picardiâ* 1572. eum fuisse epidemicum: ex *Langii* Libr. 2. Epist. 38. liquere morbum notum fuisse in *Moraviâ*, *Silesiâ*, maximâque inferioris *Germaniæ* parte: *Cratonis* Epistolas de Paralysi ex colicâ natâ anno 1582. scriptas; necnon *Paracelsi*, ejusque Antagonistæ *Erasti* opera, idem evincere. Perperàm proinde *Citesium* nominis autorem statuunt, inter quos *Theod. van Zelst*, *Belgico* tractatulo anno 1739.

*de Podagrâ & Scorbuto*. Sed cum famam ſibi maximam conciliaſſet *Citeſius* tractatu ſuo ſanè lectu digniſſimo, multi deinceps Authores ejuſmodi Colicam obſervantes, & cum *Citeſianis* de *Pictonum Colicâ* conferentes, Colicæ huic *Pictavienſis Colicæ*, ſeu *Colicæ apud Pictones popularis* nomen indiderunt.

## Varia morbi nomina.

Variis nominibus indigitatur in ſcriptis Medicorum. *Peſtiferam* Colicam *Paulus Ægineta* vocat *Lib*. 3. *cap*. 23. Quâ eum appellatione & *Citeſius* aliquando donavit. *Bilioſam* Colicam dixêre multi; quos inter *Milo*, *Citeſius*, *Cahagneſius*, *Sennertus*, *Riverius*, *Craanen*, *Muys*. *Seroſam* vocavit *C. Piſo*. *Scorbuticam* plerumque eſſe *Schenkius*, *Eugalenus*, *Jungken*, &c. ſtatuerunt. *Convulſivam* *Baglivus* & aliquando *Jungken*. Colicam *Notham* definivit *Cahagneſius* nonnullis in locis.

## Authores juxta temporum ſeriem, qui de hoc morbo mentionem faciunt.

Priſcis Medicinæ ævis ignotus videtur Morbus. Quamvis enim *C. Piſo* conatus fuerit aſſerere eum pluribus in locis ab *Hippocrate* deſcriptum eſſe; ta-

men tanti Viri pace dixerim nimiùm contorta ab ipso fuisse citata *Hippocratis* loca. Vide *Tract. Pisonis de morb. seros. pag.* 274. 275. *Edit Leyd.*

Castissimus Naturæ, post *Hippocratem*, observator *Aretæus Cappadox*, hujus morbi nullibi ullam fecit mentionem.

*Paulus Ægineta*, qui sub *Heraclio* ineunte sæculo vij. floruit, primus ejusdem meminit, Libr. 3. cap. 18. & 43.

*Avicenna*, *Cordubensis*, *Arabs* è stirpe Regiâ, florens medio xij sæculo, in Paralyseos historiâ paucis hanc Colicam tetigit, *Æginetam* citans, & ferè totum sine addimentis referens.

Altum posthac silentium morbi hujus apud Authores, usque ad xvj. sæculum ferè medium; ex quo plerique omnes describere eum occœpêre.

*Andreas Laurentius*, *Henrici IV*, *Galliæ* Regis Archiater, necnon *Monspelienſis* Academiæ Professor, exunte xvj. sæculo edidit *Hist. anat. hum. corp.*, in eâque morbum, ceu pertransiens, describit.

*Felix Platerus*, *Basilienſis*, Tom. 1. Prax. edit anno 1602. hanc Colicam delineat.

*Carolus Piso*, *Parisienſis*, anno 1618,

Librum edidit *de morbis à ſerosâ colluvie & diluvie ortis*; graphicè deſcripſit hanc Colicam, quam primò à ſeſe ait obſervatam apud Religioſos Cœnobii *Bellipratenſis*, anno 1596. poſt in opulentiſſimo Cœnobio *Stabulenſi*.

*Daniel Sennertus*, *Vratiſlavienſis*, qui *Piſonis* ævo floruit, teſtantibus ab ipſo anno 1609. operibus, variam hujus Colicæ mentionem fecit. Vide Lib. 1. part. 2. cap. 37.

*Jacobus Cahagneſius*, *Cadomenſis*, Medicinæ Profeſſor regius anno 1616. *Cadomi* edidit Libellum, cui titulus: *Brevis faciliſque Methodus curandarum febrium*; cujus ad calcem adjecit peculiare caput de *Colicâ Pictavienſi*, eive ſimili.

*Nicolaus Fontanus*, *Amſtelodamenſis* in *Florilegio*, anno 1637. edito, de hâc Colicâ ſermonem habet.

*Franciſcus Citeſius*, *Pictavienſis*, *Ludovici XIII* & Cardinalis *Richelii* Medicus, necnon Facultatis Medicæ *Pictavienſis* Decanus, 1639. edidit, quam mox laudavi, *Diatribam de novo & populari apud Pictones colico bilioſo*; quem circa annum à nato Servatore 1572. exortum eſſe ſcribit. Omnium optimè de eo diſſeruit, magnumque *Salmaſium*

hoc morbo ferè confectum, & à nullis Medicis levatum, sanitati reddidit, ut ipse *Salmasius* testatur. Supra jam vidimus ex *Citesio* morbum innotuisse *P. Miloni*; *Fernelio*, *Hollerio*, *Droeto*, *Langio*, *Cratoni*, *Paracelso*, *Erasto*.

*J. B. ab Helmont*, *Bruxellensis*, qui anno Domini 1644. obiit, de hoc morbo loquitur *Libr. de Flat.* pag. 401. Libr. *à sede animæ ad morbos* pag. 281. Et Libr. cui titulus *Jus Duumviratûs* pag. 289.

*Lazarus Riverius*, Medicus Regius, ac Professorum *Monspelienſium* Decanus qui sub medium sæculi xvij. floruit, Prax. Med. Lib. 10. cap. 2. fusè hanc Colicam tractat.

*Joannes Jacobus Wepferus*, qui medio sæculo elapso floruit, Epistolam scripsit *Scafhusiæ Helvetiorum*, *Vratislaviam* ad *Sachsium*, cujus argumentum versatur circa *Paresin post Colicam ex vino*. Ait ejusmodi ægros sibi ab aliquot retrò annis plurimum negotii facessiviſse. Extat Epistola hæc in Miscell. nat. curios. anni 1671.

*Daniel Puerarius*, Professor *Genevensis*, anno 1678. edidit *Thomæ Burneti Thesaurum*, cum observationibus propriis; longè latèque super hoc morbo

disſeruit, in Obſerv. ad Libr. 3. ſect. 48. ſubſect. 13.

*Thomas Sydenham*, ingens *Angliæ* ſidus medicum, paucis rem attigit, proceſſ. integr. pag. 605. *Edit. Leyd.* 1741.

*Thomas Williſius* tract. de animâ brutor. cap. 9. Paralyſin ex Colicâ natam exponere molitur.

*J. H. jungken*, Med. Prax. Lector edit. prax. *Francof.* 1689. pauca in eamdem commentatus eſt.

N. *Craanen*, *Lugdunenſis* primò Profeſſor, *Brandemb.* Electoris dein Medicus, circa finem ſuperioris ſæculi in *Lum. rational. Med.* cap. 5. verba de hoc morbo nonulla fecit.

Eodem circiter tempore *J. Muys*, Medicus *Batavus* in *praxi Medico-Chirurgicâ rationali* Decad. 6. obſ. 10. meminit Paralyſeos utriuſque brachii poſt Colicam bilioſam : at verò ut rariſſimum hiſce in oris morbum notat.

*G. Baglivus*, *Romanus*, ſub *Innocentio* XII & *Clemente* XI, Profeſſor, in prax. Med. Part. 1. cap. *de Colicâ* multa egregiè diſſeruit, quæ ad hunc ſcopum pertineant.

*J. B. Bianchus*, *Taurinenſis*, in Anatomiâ Profeſſor, in *Hiſt. Hepaticâ* 1725. editâ, hanc Colicam deſcribens, mul-

tus primò est in aliorum Authorum referendis opinionibus, dein statuit esse morbum gravissimum, pertinacem, curatu difficillimum; denique Lectores suos mittit ad *Citesii* de hoc morbo Tractatum.

*Anonymus Author Amstelodamensis* Medicus extat in Eruditorum Diariis, quæ vulgò *Bibliotheque raisonnée* appellitant, dignus profectò qui ob multa, quæ profert, egregia, attento legatur animo. Vide *Biblioth. raison. tom.* 8. *art.* 2. *& tom.* 9. *part.* 1. & 2. Acta *Edimburgensia* quæ inter tot præclara inventa de hoc morbo nihil habent, tribus diversis in locis *Anonymum* hunc laudant.

*Theodorus van Zelst, Beverovicus*, Medicus, anno 1739. *Belgicè* edidit Tractatum *de Podagrâ & Colicis scorbuticis*, in quo nonnulla de hoc morbo sanè non contemnenda; sed quæ tantùm ex usu sunt, moras ducente morbo: nam quæ in mali primordiis requiruntur, ea ne tetigit quidem Author; nec illum etiam vidisse unquam à principio morbum, ex tractatu ejus admodùm credibile fit.

*Immortalis Boerhaavius* in nullis editis à sese operibus super hoc morbo disseruit; neque etiam toto ferè quadrien-

nio, quo assiduus ipsius in privatis Institutionum ac Praxeos Collegiis auditor fui, verba de eo fecit. An quia publicis eum reservare Lectionibus maluit? Utique in Lectionibus *de morbis Nervorum*, annis 1731. 1732. 1733. 1734. publicè habitis, cap. 2. sub titulo: *de Morbis ex affectione Nervorum abdominalium natis*, mira de eo, & egregia protulit, quæ ex dictitantis ore exactè exscripsi. Quumque Lectiones hæ typis nondum excusæ sint, obstrictum me arbitror, ut, quæ huc pertineant, publici faciam juris. En ipsius verba: Lect. 22. cap. 2.

Sententia Boerhaavii super hoc morbo.

» Quandoque homines sani (centenos vidisse me credo) nullam causam incusantes, incidunt in dolorem intolerabilem circa umbilicum, qui omni remedio resistit; instar terebræ hæret ad Intestina tenuia. Subsequitur color pallidus, flatus, debilitas quædam. Hi, postquam binos, ternosve Paroxysmos passi sunt, dolore colico se dicunt laborare. Sed incipiunt perdere carnosum habitum ad musculos moventes humerum, plus ad brachium & ulnam, sed ma-

» ximè muſculorum qui movent Car-
» pum, Metacarpum, digitorum Pha-
» langes: ita ut ab humero aduſque
» ungues, oſſa tantùm & tendines,
» membranaſque videas. Tandem mor-
» bus ille tendines alligat ad Vagi-
» nas, & omnes illæ partes gracileſ-
» cunt. Morbus ille frequentiſſimus.
» Nihil ſentierunt, niſi dolorem ad
» umbilicum, ubi ileon inteſtinum.
» Clyſmata aliaque alvum ſtipatam ne-
» quiverunt movere. It malum, redit-
» que. Effectus ſemper eſt Emaciatio
» dictarum partium. Si diu duravit,
» pedes & tibiæ, & femora pariter af-
» ficiuntur. Vocatur à Medicis *Colica*
» *Pictonum*, quibus hominibus moleſ-
» tiſſimus obſervatus eſt.

» Quid mirabilius quàm quòd nervi
» in Meſenterio aut Inteſtinis a ſician-
» tur, & inde pereat actio dictarum
» partium. Non eſt quod dicas nervos
» communicare, & hinc fieri: nam unde-
» nam perit pinguitudo? & cur non
» alibi? Pinguitudo quippe ita perit,
» ut Vaginæ tendinum cum iiſdem con-
» creſcant, & vaginæ cum Perioſteo,
» vel aliis tendinibus.

» Pendet à ſingulari proprietate, hiſ-
» ce in Nervis obſervatâ: quam expli-

» care nemo poteſt ex Legibus humani
» corporis.

## Lect. xxiii. Cap. ii.

» Circa diſceſſum heri proponebam
» morbum notiſſimum *Colicam Picto-*
» *num*; unde natus morbus in artubus
» ſuperioribus dictus *Pareſis* ſive *Re-*
» *miſſio*: eumque in ortu, ſede, effecti-
» bus, deſcripſi. Præcipuè mirandum
» quòd à nullo alio ortu oriatur: (Pa-
» reſis enim tantùm à Nervis abdomi-
» nalibus affectis): & quòd non modò
» ſpiritus ibidem afficiat, ſed quòd pin-
» guedinem craſſiorem, arterioſi ſan-
» guinis ſobolem, intercipiat, ac graci-
» litatem ſiccitatemque inducat: unde
» tandem, tendine concreſcente, im-
» mobilitas.

» Quicumque hunc morbum bene
» obſervant, dicunt in opulentiſſimâ
» urbe, *Amſtelodami*, eum eſſe fre-
» quentiſſimum. Pictoribus eum oriri,
» iiſque qui pigmenta de plumbo pa-
» rant, qui fundendo plumbo operan-
» tur, maximè qui vetus plumbum pu-
» rificant, & utenſile reddunt, unde
» peſſimus fumus oritur; hos omnes eo
» morbo affici. Frequens eſt & iis, qui

» per plumbum in fornace figulinis va-
» sis vitro incrustandis operam dant:
» iis quoque qui opulenti redimunt
» oleosa, fortia, spissa, Vina Rhena-
» na, habentia quid dulcis, quod sus-
» picor esse à plumbo. In *Germaniâ*
» suspensus fuit Mercator, qui adul-
» terando sic vinum ditissimus factus
» erat. Fatalis ars fortè adhuc viget.
» Colorem fulgentem habet vinum il-
» lud, gustu mite est quasi sacchari sa-
» turni quid admistum habens: & quo-
» niam eos, qui tale vinum bibunt,
» sic affectos vidi, suspicor à plumbo
» esse.

» Multos curandos habui, quibus
» quatuor extremos artus planè exsicca-
» tos vidi; sed per succum mitiorum
» antiscorbuticorum restituti sunt; per
» Balsami *Peruviani*, de *Copayba*, as-
» siduum usum, per saponis *Veneti*
» usum quotidianum, per frictiones
» externas solius abdominis, per em-
» plastra abdomini, non artubus appli-
» cata, adhuc hoc anno plures curavi.

» Discimus inde quomodo affectio-
» nes horum nervorum habeant in-
» fluentias in remotas partes, & agant
» omnium humorum lentissimè moto-
» rum alienatione.

## ET LECT. LXXVIII.

De mirâ Nervorum distributione fusè agens, rem sic explicat:

» Sequitur jam mirabilis constitutio
» artuum superiorum. *Galenus*, *Vesa-*
» *lius*, & optimè *Eustachius*, docent
» quòd ad solos humerum, brachium,
» carpum & digitos, ferantur quinque
» ingentes nervi, mirè implexi, sub
» axillis distributi, & evanescentes in
» hunc artum. Unus *Eustachius* appin-
» xit nervum communicantem cum
» quinque paribus hisce, facientem
» primam causam morricem, qui ra-
» mus habet commercium cum nervis
» viscerum inferiorum.

» Nihil mirabilius, quàm quòd Pa-
» ralysis absoluta artuum superiorum
» cum exsiccatione oriatur, à *Colicâ*
» *Pictonum* hærente in solo mesente-
» rio. Morbus creberrimus est; & patet
» hinc commercium esse maximum in
» his nervis.

*Acta Parisina*, tota quanta, memorabile nihil, quod huc spectet, referunt.

*Ephemerides naturæ Curiosorum*, nonnulla habent, quæ scopo nostro inser-

viant ; quale quid pag. 6. de *Wepfero* citavi ; cæterùm videntur cum allegatis Authoribus omnia convenire.

*Acta Edimburgensia* nihil continent, quo morbus hicce illustrari queat.

## Omnium Authorum observata de Diagnosi hujus morbi.

Omnes memoratos Authores sedulò pervolventi constabit *Colicam Pictonum* eum morbum esse, ubi violentissimus, isque perseverans diù dolor, ventri innascitur, cum alvo nullis irritamentis referandâ, abdomine intrortracto, vomitu, vigiliis, & subsequente Paralysi, aut Convulsione, aut Lethargo, aliisve pessimis Symptomatibus.

## De Causis proegumenis.

Ex iisdem colligentur *Proëgumenæ Causæ* hæ esse : Contagium, Febres malè curatæ, præcipuè intermittentes ; Temperamentum siccius ; Vina variis generis, Vina plumbi præparationibus adulterata ; Plumbum ipsum ; Temperies scorbutica, rheumatica, arthritica, podagrica, melancholica, atrabiliaria ; Pituita vitrea ; Acor ventriculi &c. ; menses suppressi, Lochiave ; Meconium ; Lac coloſtratum ; Dentitio ; Venena

varia; ſex rerum non naturalium abuſus.

### De Cauſis procatarcticis.

*Procatarctica Cauſæ* ipſis numerantur; inhibita Perſpiratio; Ira, aliave animi Pathemata, humores multùm exagitantia; Victus in otio, ſoloque uliginoſo opiparus; nonnulla Vina; anni Tempeſtas autumnalis, hyemalis, borealis; ac præprimis pertinacior Alvus.

### De Causâ proximâ.

*Cauſa proxima* horum Authorum quibuſdam cenſetur bilioſa materies inter ipſas effuſa membranas; ſeroſa aliis; convulſivus quibuſdam motus audit; aliis ſpamodicus; denique conditio talis, quæ ineffabili prorsùs modo nervos adficiat.

### De Prognoſi.

In *Prognoſi* dixêre, Colicam hanc terminari vel in mortem, vel in majorem minoremve Paralyſin; hancque Paralyſin morbi Criſin eſſe, difficilem curatu, longamque; vel etiam in Lethargum nonnunquam; ſæpè in Convulſiones, quæ eſſent lethales, aut ſecundùm alios, alio quàm alio tempore diſcriminis pleniores.

## De Curatione.

*Curationem* vario modo varii aggreſſi ſunt. Conveniunt omnes ferè in Enematum uſu : quæ *multa* plures ; quæ obnitente naturâ *pauca prudenter applicanda* nonnulli ; quæ *mollia*, *diſcutientia*, *eccoprotica*, ferè omnes ; quæ *fortia penetrantia*, unus alterve, præſcribunt. Pleriſque etiam, ubi plethora adeſt, & ferox malum, *Venæ ſectio* arridet ; quam eamdem tamen alii vituperant. *Purgantium uſum* quidam Pareſeos, imò & mortis cauſis annumerârunt ; nonnulli utcumque *ſuſpectum* habuêre ; alii eorumdem *ne meminerunt* ; *leniſſima* plerique præſcripſerunt, quidam *Draſtica*. Emeticorum repetitus uſus tum in Prophylaxi, tum in Curatione, ſuis non caruit encomiis. Quin nec deſunt Medici, qui res actu frigidas affatim comedendas, ipſamque aquam gelidam, intùs extùſque adhibendam, imò nivem ventri obvolvendam, audacter ſcribant. *Neurotica* in arte dicta à paucis commendantur. Laudârunt alii *Sudorifera*, quæ deteſtantur alii. *Balneorum uſus* encomio multorum gaudet, aliorumve methodo exulat prorsùs. *Opium* ſuſpectum nonnullis, Pareſeos cauſa aliis,

quibuſdam egregium remedium, ſed cautè dandum, audit. *Antiſcorbutica* ferè omnes vocârunt in uſum. *Aſininum lac* laudibus apud nonnullos quàmplurimis inſignitur. *Saponacea & Balſamica* hinc inde præſcripta legimus. *Medicati fontes* ſuâ etiam laude haud caruêre. Partes paralyticas ipſas *fricant* omnes *inunguntque*; niſi quòd unus aut alter totam frictionis & inunctionis vim in ſolum abdomen converti velit. Molliore ad fricandum materie utuntur quidam, penetrantiore alii; alii iterùm Nasſturtio cum aceto fortiſſimo tuſo membra ante fornacem fricant. Commendatur ipſa partium paralyticarum cum Urticis inſtituenda flagellatio.

Atque hæcce ſuffecerint, ut quæcumque ab Antiquitate remotiore in hoc uſque ſæculum circa hunc morbum dignoſcendum curandumque notata fuerint, liquidò conſtent. Multa profectò, eaque egregia, multi dixêre; ſed confusè adeò, & obſcurè, ut expoſitionem variorum in eo obſervatorum phænomenôn adæquatam, & juxta hanc expoſitionem formatam legitimam curandi methodum, fruſtra inquiſiveris.

Sed ſimul conſtat citatorum authorum quoſvis de morbi tum naturâ cau-

sisque, tum curatione, veri quidem aliquid protulisse; exactam verò ejus historiam Medicam exarasse, curandique methodum tradidisse neminem; immortalem ubique si exceperis *Boerhaavium*. Is quippe unus ex veris Artis fundamentis pauca protulit, sed verissima; quæ sola viam sternant, quâ ii, quibus explicare phænomena, & curam legitimam tradere, animus est, incedant oportet. Hâc unicâ viâ morbum purè analyticè meditor tractare.

## CAPUT II.

### EXHIBENS COLICÆ HUJUS DESCRIPTIONIS ET CURATIONIS METHODICÈ TRACTANDARUM SPECIMEN.

### §. I.

#### De morbi signis.

SI dolor fixus, plerùmque ferocissimus, prope umbilicum, cum inani prorsùs applicatione Enematum, Epithematum, Cataplasmatum, remediorumque ore assumptorum, imò potiùs, cum dolorum augmento, cum ventris introtractione, contra quàm in aliis Colicis

contingit obſervare, cum Podicis ſæpè clauſurâ firmiſſimâ & introtractione, cum vomitu, febre majore minoreve, pervigilio, &c. *Colicam Pictonum* vocant.

Sin & convulſiones accedant, breviqué ſequatur major aut minor Paralyſis, eò audaciùs id ipſi nominis imponunt.

## §. II.

### Cauſæ proegumenæ & procatarcticæ.

Antecedunt hanc Colicam 1°. *Aſſumpta venena.* Ita *Wepferus*, *Ramazzinus*, *Anonymus Amſtelodamenſis*, & imprimis *Boerhaavius*, ſtatuunt. Eſtque frequéntior quàm paſſim credunt, hæc antecedens cauſa. Hinc Pictoribus, tot plumbi præparatis, aliiſque venenis, utentibus, admodùm familiarem affirmant. Quare *Boerhaavius* inter præcipuas morbi cauſas hanc ſtatuit 1°. Quia, ut ait, frequens obſervatur iis, qui plumbo parando, purificando, fundendo, in pigmentis utendo, fictilibus vaſis eodem incruſtandis, victum quæritant. 2°. Quia frequentiſſima obſervata eſt hominibus vino plumbi præparationibus adulterato, utentibus, aut olim uſis.

Accenſetur quippe plumbum Toxi-

cis, quæ conſtringendo, obſtruendo, exſiccando, citâ vel lentâ morte perimunt. Sic *Boerhaave* Inſtit. §. 1143. Et fuſiùs hoc explicat, in Chemiæ Part. 2. proceſſ. 171. Agens enim de Ceruſsâ, » Pulvis ille tenuis, inquit, inſ-
» piratione ductus in pulmonem Aſth-
» mata creat, terribilia, inſanabilia
» ferè, tandem lethalia. Si ore recep-
» tus deglutitur cum ſalivâ, peſſimos
» creat morbos viſceribus, languores.
» debilitates, dolores, oppreſſiones in-
» tolerabiles, tandemque mortem. Te-
» tra hæc mala; at quotidiana viden-
» tur apud eos, qui plumbum quo-
» modocumque tractant, maximè au-
» tem qui album plumbi conficiunt.
» Caveant homines venenum, quod
» odore carens & ſapore, tantò pejus
» afficit, quò irrepit tectiùs, nec ſe
» manifeſtat, niſi in devictis jam cor-
» poribus.

Antecedunt 2°. *febres* continuæ intermittenteſque malè curatæ. Plurimi Authorum recenſitorum id paſſim affirmant. Manent hinc obſtructiones viſcerum facilè in Hydropem, Scirrhos, &c. mutandæ: manet hinc ſcorbutica diſpoſitio, ut pulchrè notavit *Sydenhamus*; qui poſt *Peruviani* Corticis uſum

frequentes reperiit Hydropem & Scorbutum : quæ Scorbutum attinent, ea mox explicabuntur.

Antecedit 3°. quoque *Diſpoſitio humorum acris* Scorbutica, Rheumatica, Podagrica, Melancholica. *Sennertus*, *Schenchius*, *Eugalenus*, *Anonymus* & *Boerhaavius* ſive in morbi deſcribendâ naturâ, ſive in tractandâ ejuſdem curatione, Scorbutum maximè videntur incuſaſſe. Porrò perquàm ſimiles & affines Scorbuto reliqui mox adlegati morbi deprehenduntur ; dicente ipſo *Boerhaavio* Aphor. 1490. » Arthritidi, » Podagræ, Scorbutoque agnatus mor» bus, Rheumatiſmus. Ita quidem, ut plurima ſymptomata habeant inter ſe communia, neque etiam in origine multùm à ſe invicem diſcrepent. Qui proin apud pleroſque Authores, & maximè apud magnum *Boerhaavium* ſingulorum horum morborum ritè examinârit hiſtoriam, comperiet vel abſque *Pictavienſis Colicæ* factâ mentione Colicam cum Convulſione, Paralyſi, &c. in Scorbuti, Podagræ, Rheumatiſmi, ac Melancholiæ tradendâ deſcriptione, delineatam eſſe. Quotquot etiam exempla adferuntur ab Authoribus, pleraque omnia demonſtrant in Prædiſpoſitione ſimile

quippiam latuisse; quæque observavi ego, utique vini usui, spirituosuorumque, vel Scorbuto, eive agnatis morbis, multùm deferre debui.

Antecedit 4°. *impedita perspiratio*. Hanc causam *Citesius*, *Baglivius* & *Anonymus* allegant: ac pessimè eos affici, qui perspirationem impeditam patiuntur in pedibus, multiplici exemplo *Baglivus* demonstrat; testaturque experientia quotidiana pluribus hanc ob causam Colicos dolores solemnes esse. Plurima Scorbuticorum, Rheumaticorum, Arthriticorum, Melancholicorum symptomata, ex impeditâ aut imminutâ perspiratione exsuscitantur, exasperanturve. Videantur Authores, & maximè *Boerhaavius* super his morbis. Unus *Sanctorius* hoc pluribus explicat Aphorismis. Hæc impedita perspiratio vice fungitur procatarcticæ causæ.

*Animi Pathemata*, humores multùm exagitantia, in procatarcticarum causarum classe haud infimum obtinent locum. *Riverius* Libr. 10. cap. 2. iracundi exemplo hoc confirmat. Ira in Melancholicis, Podagricis, &c. multùm furens observatur sopitos excitasse Paroxysmos. Novi quibus ferè restitutis ira, vel subitus terror, dolorem ventri con-

ciliet illicò, mox artubus; motumque eorumdem debilem per aliquot dies debiliorem reddat.

*Victus in otio opiparus* à *Piſone* & *Anonymo* inter has cauſas quoque recenſetur, nec ſanè immeritò: accumulantur quippe iis hominibus alimenta minùs aptè ſubacta & facilè in acorem degenerantia in Inteſtinis, adeòque anſam facilè præbent naſcituræ Colicæ.

*Vinum, aliique valdè ſimulantes, atque aceſcentes potus* huc referuntur à *Piſone*, *Wepfero*, *Citeſio*, *Cratone*, *Riverio*, *Puerario*, *Anonymo*, *Boerhaavio*. Dictus *Helmontio* Ventriculi acor, & per Archæum ad artus demandatus, huc etiam referri poteſt. Vina acidam acrimoniam apta nata ſunt inducere; unde *Boerhaavius* Inſtitur. §. 760. de Acrimoniâ ex vinis acidis aut acetis nata differens: » præ cæteris nimio uſu aſſumpta, ait, » acre, acidum, ſerum facit, unde » Rheuma, Podagra, & ſimilia. Stimulantes liquores acrimoniam generant adhuc pejorem. Vina recentia obſervantur hîc perquàm noxia; quia multùm adhuc *Gas* ſylveſtris, Nervis adeò inimici, & ſpaſmos anxietateſque enormes ſæpè excitantis. Vina plumbatis maximè adulterata incuſant *Wepferus* &

& *Boerhaavius*. Vina nonnulla acria, auſteriuſcula, ab optimis Authoribus vim peculiarem huic excitando morbo habere obſervantur. Videantur in *Miſcell. Academiæ Naturæ Curioſ.* Dec. 1. a. 2. obſ. 32. & a. 4. obſ. 30. *Crato* quoque hinc Colicæ apud *Moravos* cauſam deduxit. Et ſcitè *L. Lemnius* Lib. 1. cap. 15. de *occ. nat. mirac.* narrat *Batavos* ex vini *Pictavienſis* potu adeò moroſos reddi, ut uxores pugnis excipiant; à *Rhenano* autem aliove generoſo vino adeò blandos fieri, ut eaſdem oſculis impetant.

*Anni tempeſtas autumnalis, hyemalis, borealis*, cauſis accenſetur excitantibus. Naſcitur hinc impedita perſpiratio, & lentior per exteriora motus: hinc neceſſariò major, iſque noxius motus in interioribus; & acriorum alioqui exhalaturorum retentio.

Tandem *Alvus diù pertinaciterque clauſa* à *Citeſio*, *Anonymo*, aliiſque excitans dicitur cauſa. Ut enim Colicus dolor ſimplex oritur ſæpè à retentis, adeòque & ſtimulantibus excrementis; ita ex perſegni in Prædiſpoſitis hinc poterit *Pictonum Colica* naſci.

## §. III.

### Prognosis.

Prognosis hisce ferè describitur.

*Colica Pictonum* si vel spontè, vel facili operâ solvi contingit, spatio 1. 2. septimanarum transit in sanitatem.

Sæpè Mensem unum durat alterumve, & necat: rarò, quòd sciam, citiùs occidit.

Aliquandò, vertentibus annis, sub hyemem redintegratur, idque quatuor vel quinque sibi subsequentibus annis.

Abit nonnumquam in Lethargum.

Sæpè in Convulsiones transit lethales.

Ut plurimùm in Paralysin supernorum infernorumve, imò omnium Artuum simul abit.

Colica cum ipsâ Paralysi sæpiùs redintegratur per aliquot sibi subsequentes annos.

Quin & in Hydropem mutatur post Paralysin, eumque ut plurimùm lethalem.

Colica aliquando Paralysin comitem habet, sine ullo dolorum remissu.

Vomitus perpetuus, haud sistendus; Pulsuum intermissio, debilitasque; Fœx alvina vel nulla, vel per longum tempus

pauca, dura, parva, alba, ovillorum ſtercorum inſtar; Convulſio, Lethargus, Cœciras, Aphonia; doloris poſt adhibita remedia augmentum; Hydrops poſt Paralyſin; frequentia ſunt præſagia periculi in hoc morbo, vel mortis.

A Plumbo, à vinis variâ Plumbi præparatione adulteratis, ſtrenuè diùque, in corpus acredine humorum magnâ & inveteratâ laborans, ingeſtis, natâ hâc Colicâ; magni & longi moliminis eſt curatio.

In corpore graviſſimâ Podagrâ affici conſueto, jam dudum ſtatis haud affecto temporibus, admodum mala.

Ulcuſculo nato in pede, perpetuò manente, præcipuè in podagrico, morbum levat.

Quæ recidivas habet plures, eaſque poſteriores prioribus graviores, ferè lethalis.

Quæ diuturna, quæ cum perpetuâ ac perfectâ deglutiendi retinendique impotentiâ, peſſima.

## §. IV.

### Inſpectio anatomica.

Cadavera hoc morbo defunctorum exhibuêre inter Jejuni tunicas tumorem

Anſerini ovi magnitudine, ſinceram Bilem, eamque æruginoſam, profundentem. Hunc *Milo* anno 1592. demonſtravit, præſente *Citeſio*. At morbi ſymptoma hîc potiùs quàm cauſa fuit; ut ipſa docent phænomena morbi. *C. Piſo* de coll. ſer. ſect. 4. cap. 2. demonſtravit in ejuſmodi cadavere copiâ haud parvâ ſeri Encephalon repleri, ubi Cerebrum locatur; totum ſpatium ſpinalis medullæ, nervoſque hinc inde in vertebras propagatos, in aquâ plurimâ innatare; aperto demùm Cerebello, non ſolum Ventriculum quartum aquâ ſcatere, ſed & ſubſtantiam ipſam eâdem prægnantem totamque imbutam. Hinc egregius Author morbi totius cauſam proximam ſibi viſus eſt intellexiſſe, & ſyſtema ſuum de morbo hoc ex ſeri copiâ & ſitu nato confirmaſſe. At pace *Manium Piſoniorum* dixerim hoc exin deduci non poſſe. Potuit quippe ſerum natum fuiſſe poſt Colicam; quando, reddito priùs corpore paralytico, humida inertia & vappida, ſolidaque flaccida, ſeri generandi occaſionem præbere potuerunt. Hoc longè videtur priore probabilius. Eſtque hîc egregiorum Virorum in perſcrutandis cadaveribus ſolertiſſimorum frequens error, ut morbi

causam statuant id, quod præter naturam in iisdem detexêre; quamvis id ipsum sæpiùs effectus sit, quàm causa morborum. Idem judicium esto de observ. vj. Lib. 1. *Boneti sepulchr.* ubi cadaver post hunc morbum exhibebat Hepar magnum & obstructum, Vesicam felleam nigrâ bile turgidam, Ventriculum humore viridi extensum, Colon flatibus durisque fæcibus expansum, Cerebrum & medullam spinalem tenui lymphâ madida. Ut & de iis quæ ibidem narrantur in sect. 14. Lib. 3. de plurimo sero subpallido inter utramque Meningem reperto. Sapienter ergo egregius *Wepferus* Mesenterii Inflammationem in simili à *Spigelio*, & Mesenterii abscessum, totumque abdomen pure repletum à sese detecta, nequaquàm ut morbi causas, sed vel morbi, vel præposteræ methodi effectus recensuit. Cæterùm sterilis admodum est Historia medica dissectionis corporum hoc morbo defunctorum: ut causa proxima potiùs sit ex morbi deducenda phænomenis.

## §. V.

### Causa proxima.

Ex quibus itaque elicitur *Causa pro-*

*xima Colicæ Pictavienſis* eſſe ſenſim nata exſiccatio, rigiditas, contractio Viarum primarum, maximè Inteſtinorum: unde fit, ut ultra vix admittant quidquam, tranſmittantque per lacteas aut alias abſorbentes Venas; ut etiam contenta alimenta retineant, compingant, cumque ſuâ ipſorum fabricâ ceu unam in maſſam coadunent.

Quidquid hanc exſiccationem, contractionemque producere poteſt, poterit *Cauſæ propioris* munere fungi; quod pag. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. allegatum fuit.

Quin hinc vera *Diagnoſis* mali, ut mox in Causâ proximâ dictum. Porrò hæc latiùs explicanda hoc loco venit.

## §. VI.

### Diagnoſis.

*Diagnoſis*, inquam, ſpontè patet. Namque acris in ſerosâ, craſſi in rubrâ ſanguinis parte effectus demonſtrat morbus. Hæc enim Acidi, Salſi, & Alcalici per ſeſe ſolorum, & imprimis Scorbuti, tum acidi, tum ſalſi, tum alcalici, effecta eſſe magnus *Boerhaavius* ex ſolis, veriſſimiſque Artis principiis, evicit. Ex tali humorum prædiſpoſitione intel-

ligitur ſanguis fieri oleo balſamico orbus ſuo, ac proinde haud ampliùs poſſe per deſtinatas ab adorando Creatore machinas dimittere blandum illud, unctuoſum, mucoſum Smegma; quod alioquin tam pulchro effectu Oeſophagi, Ventriculi, Inteſtinorumque internos inungat parietes; eoſdemque humidos, molles, facilè mobiles, atque à pertranſeuntibus acrioribus ſervet immunes. Jam verò ſicceſcunt hæ partes; rigidiores, motuique naturali peragendo ineptiores fiunt. Nec magis mirabimur hunc Scorbuti effectum, quàm miramur articulorum crepitum, à defectu olei articulos illinientis, in hoc ipſo morbo obſervandum. Hinc vox aſpera fit & rauca: ingeſta alimenta vix miſcentur; digeruntur, moventur, expelluntur que ægerrimè ex primis viis; nec niſi chyli tantillùm per rigidiora ac contractiora Lacteorum oſcula, penetrat; unde compacta tandem maſſa cum ipſis Inteſtinis in unum ferè corpus coaleſcit. Atque hinc illæ lacrymæ! Quippe tota vis pectoris & abdominalium muſculorum deſævit in unum Ventrem, ut materia noxia eliminetur. Pulchrè notavit hoc *A. Kaau Boerhaave* in Tract. de impetum faciente *Hip-*

*pocratis* cap. 10, § 454. » Fæces alvinæ
» aggeſtæ irritant nervos, oritur inde
» conſenſus in muſculis egeſtioni di-
» catis; inde illorum ſpaſmodica &
» violenta contractio: nec illi ſoli,
» ſed totum rapitur ad hanc actionem
» corpus in conſenſum; anima reti-
» netur, clauſis viis, per quas illa
» cæterùm libera tranſit; tument venæ,
» imò verò brachiis & cruribus nixus
» eduntur «. Dolores & anxietates tunc oriuntur, humanâ patientiâ ſæpè adeò ſuperiores, ut, (horreſco referens) violentas ipſi ſibi ægri manus inferrent, ni vel animo inſitus erga Deum timor Relligioque, vel ſaltem neceſſariorum aut adſtantium cautela obſtaculo forent. Aucta hæc compreſſio in dolorem ſummum, levia eaque breviſſima tantillæ indolentiæ intervalla conciliat aliquando, inſenſilitate inductâ præ nervorum compreſſione integrâ; ſed, ut dixi, momentanea ſolamina ſunt, compreſſione mox ſic laxatâ, ut vividus dolor denuò percipi poſſit. Venena, ut plumbum, &c, quæ incraſſando, obſtruendo, exſiccando agunt, dubio procul eamdem Inteſtinis diſpoſitionem creant; imò pejorem, quàm Scorbutus. Spaſmi hinc non modò In-

teſtinorum, ſed & aliorum viſcerum Inteſtinis nexorum, Ventriculi putà, Omenti, Lienis, Veſiculæ felleæ, Pancreatis, Renum.

## §. VII.

### Singulorum Symptomaton acuratior Dilucidatio.

Hinc *Vomitus* frequens 1. Quia utraque Bilis, necnon Pancreaticus Latex, per inferiora Spaſmo contracta, & Chylo fæcibuſque repleta, impeditam offendens viam, per ſuperiora cogitur remeare. 2. Quia Inteſtinis connexus Ventriculus, ab iiſdem quoque convellatur, contrahaturque neceſſe eſt. 3. Forſan etiam quia hîc viget illa inexplicabilis Vis animali innata corpori, quæ vomitu ſæpenumero promoveat reſtitantem & nocituram in corpore materiem. Hærente in ureteribus Calculo, Vomitus obſervatur inſeparabilis, vim Diaphragmatis ac muſculorum abdomanalium totam, eamque maximam, in unum determinans ventrem inferiorem, ſeu Pelvim, peregrini hoſpitis pellendi eliminandique causâ. Ex nervi octavi paris communicatione cum Ventriculo & Renibus

explicant rem hancce Physiologi; quam eamdem rationem & hîc loci obtinere Neurologi demonstrant. At verò, ut ingenuè dicam, sic facti à Summo Numine, sic conditi sumus, ut vix dentur in corpore alicubi affecto partes, quæ angi ac dolere partem sociam torpidæ atque otiosæ patiantur. Non solus ipse hic morbus, sed mirus Parturientium Nixus totaque Animalium Historia, stupenda hanc in rem adferunt: quæ retuliſſe omnia hujus loci non est, foretque tœdiosum.

Neque abesse *Febris* major minorve potest; quia impedito plurimùm per contracta & compressa in Abdomine vasa humorum circulo, reliqua Corporis vasa, longè plures copiâ humores, eosque acres, excipere ac propellere coguntur.

Hisce symptomatis aliquando jungitur *in Abdomine Convulsio*. Quum enim tortutam ipsam superans dolor plerumque hîc nascatur, qui proximus ad Convulsionem gradus; utique vera harum partium, iisque vicinarum, oritur Convulsio, ut toto corpore concussio ferè sentiatur. Quamobrem haud immeritò à quibusdam *Convulsiva* nuncupatur Colica.

*Ventris introtractio*, contra quàm in aliis Colicis, obſervatur. *Piſo* & *Jungken* jam obſervârant hunc morbum *cum Umbilici quandoque introrsùm contractione* contingere. *Wepferus* paucis, ſed accuratè ſatis, hoc explicat. Nempè ſpaſmodicè contracta, imò & convulſa Inteſtina, in ſpatium longè arctius molem contrahunt ſuam. Ita ut ego ipſe macilentiſſimi hominis ventrem examinans, Inteſtina tenuia, dura, tenſa, repleta, nec digiti minimi craſſitiem æquantia deprehenderim. Auget quoque hanc Ventris introtractionem validiſſima abdominalium Muſculorum, ad pellendam noxiam materiem, contractio.

Tum & *maxima dolorum violentia in ambitu Umbilici*, *paulòque ſupra eumdem*. Quotieſcumque hoſce Martyres exactè interrogavi, ſemper hunc locum præ cæteris torqueri, & dirè ceu terebrâ perforari teſtabantur. Duplex autem cauſa eſt. 1°. Quia prementibus validiſſimè Diaphragmate ac muſculis abdominalibus, ſpina dorſi intra cavum abdominis multùm eminens, reſiſtentiam preſſis introrsùm Inteſtinis majorem, quàm quidem ad Latera, creat. 2°. Quia Colon tranſverſum hîc de-

currens, fæcibus insigniter, ut mox patebit, infarctum, compressionem hanc, adeòque & dolorem, suâ & duritie immanem auget; Intestinis jam adeò dolentibus, hîc ceu duo inter prœla pressis.

*Alvus obstinatissima* est 1. Quia in aridis, & glutine naturali destitutis Intestinis dudùm cumulatæ, propelli impotes, hæserunt fæces. 2. Quia præ vi doloris acerbi, Intestina, ut & vicinæ partes, magis sese magisque contrahunt. *Wepferiana* docent experimenta. In naturali statu vis Diaphragmatis & Musculorum abdominalium, totaque animæ retentio, eò collimant, ut, superatâ Ani vi, fæces corpore eliminentur. Hîc quidem eadem vis abdominis & thoracis maxima editur; at verò tanta est, & insuperabilis adeò contractio Intestinorum, ut prior illa vis quantumvis maxima, huic longè sit inferior, adeòque inutilis, ac frustra defatigans.

*Ani constrictionem, & quasi sursùm introtractionem, Piso* aliique notârunt. Id ipsum ego quoque in tribus, quibus ab initio adfui, observavi. Rectum quippe Intestinum habet fibras longitudinales, & validiores & rubras, ut

pulchrè deſcribit *Veſalius*. Ligamenta tria Coli tendinea ad Rectum diſcedunt, dilatantur, explanantur, ſuper totum Inteſtinum rectum; quod apud *Cowperum* & *Veſalium* ritè depictum. Modò nunc ponatur Colon Scybalis duris refertum violentè dolere, contrahique, in quantum poſſit, cum reliquis abdominis viſceribus quoque convelli; miri profectò nihil quod per ſua tria tendinea, eaque fortiſſima ligamenta, retrotrahat ipſum Rectum, cujus longitudinales ſibræ, ut dixi, ab tendineis Coli ligamentis oriuntur. Ergo tunc quaſi diſparebit, ſyphone vix aperiundus Anus.

Quæ interim poſt longa & tœdioſa molimina fortè fortunâ ſubin egeruntur *fæces*, eæ duræ ſunt, albeſcentes, in Scybala parva, ovillorum ſtercorum inſtar, diviſæ. *Duritiem* habent à morâ quam traxerunt in Inteſtinis, liquidiore interim parte per Lymphaticas, & præcipuè per Lacteas Venas, hinc inde adhuc patulas, furtim ſubingreſsâ. *Colorem* ex flavo album nanciſcuntur, eò quòd Bilis affuſio in duodeno retardetur, & versùs inferiora, oppletis omnibus, deſcendere nequeat. *Parvitatem* mutuantur Inteſtini contractione.

*Figuram* ducunt à contractis Coli cellulis, quas ligamenta tria Coli contracta formant.

Tum & *aspera* seu *rauca vox* pluribus fit. *Baglivi* observatio est. Quam & ego veram in nonnullis deprehendi. *Citesius* & *Milo* Vocis *clangosæ*, *strepentis*, imò *obmutescentiæ*, sive *perfectæ Aphoniæ* meminerunt. Hujusmodi hominem & ego vidi. *Raucedinem* facit: 1°. defectus sensim increscens debiti hisce locis glutinis naturalis, quo alioqui lubricitas eisdem concilietur, & mollitudo. 2°. Acer vomitus has partes continuò transiens, &, quidquid muci naturalis residuum adhuc erat, omninò auferens, adeòque siccitatem capiti asperæ arteriæ creans. *Aphoniæ* causam reor, quòd jam tutum in nervis recurrentibus Paralyseos futuræ signa Prodroma adsint: vel quòd in Plethoricis hoc morbo decumbentibus, imò & citra Plethoram in hominibus raptum cruoris violentiorem versùs superiora, ut in hoc morbo fit, perpetientibus, sanguis majori copiâ arterias Subclavias & Carotides subintret; ac proin nervos recurrentes, aliorumve huc appellentium nervorum ramulos, comprimat. *Amaurosis* quibusdam fit, compresso

fortè nervo optico ab arteriis ipſum immediatè ambientibus, & arteriâ per mediam ejus ſubſtantiam decurrente, admodùm infarctis: quippe ſupra conſtitit, præ arteriarum ex Aortâ deſcendente oriundarum compreſſione, multò plus cruoris per arterias ex Aortâ adſcendentes ſuperiora petere oportere.

*Vigiliæ* ferè perpetuæ adſunt, oriunturque à violentiâ dolorum totum genus nervoſum præcipuè in abdomine afficientium. 2°. Ab inſigni acrimoniâ cerebroſos nervos perpetuò vellicante. De his Vigiliis mox latiùs.

*Convulſiones totius corporis* ſæpè adſunt, perennante vi morbi, eæque violentiſſimæ. Fiunt, 1°. à Vigiliis, ut paſſim in morbis acutis obſervare eſt; 2°. à repletione nimiâ vaſorum Encephali; arterioſo Cœliacæ, Hepaticarum, Renaliumque Arteriarum ſanguine retardato plurimùm, impeditoque; 3°. ab humorum acredine nervos perpetuò irritante; 4°. à communicatione quam abdominales partes cum toto corpore habent, ope nervorum octavæ Coujugationis & Intercoſtalis.

Poſthac multis accidit, prægreſſis ut plurimùm validis artuum doloribus, *Paralyſis incompleta*, cum *perfectâ* mo-

tûs abolitione, vel *imperfecta*; artuum *ſupernorum* ſolummodò, vel & *ſupernorum & infernorum*. Quibuſdam obortâ Paralyſi, ſævus Colicæ dolor remittitur; nonnullis autem omninò exulat: quamobrem allegatorum Authorum plurimi eamdem cenſent *Colicæ Pictonum Criſin*. At verò perperam ſic cenſuiſſe reor; quum plures viderim, quibus poſt Paralyſin Colica, quâ olim ſævitie, perennaret; aut ſi quandoque remiſſiſſet pauxillulùm, mox ferox recrudeſceret. *Incompletam* dixi *Paralyſin*, quia ſenſus, necnon modicus tepor plerùmque adſunt, imò obſcurior nonnunquam motus ſupereſt; licet hic integrè ſæpè perierit. Si contigerit nonnullum ſupereſſe motum; obſervatur Labes ut plurimùm hærere ad Extenſores digitorum communes, ad Supinatores, ad Pollicum abductores, adductores. Sin & pedes occupârit Paralyſis cum ſuperſtite tantillo motu, advertitur potiſſimùm in muſculis crurum extenſoribus: ita quidem ut ægri decumbentes varios quidem motus dextrorsùm, ſiniſtrorsùm, ſurſùmque, genua movendo, peragant, at extendant ægerrimè; inſiſtent verò iiſdem, eave ſaltem movere erecti nequeant; &, ni

ſuffulſeris, genuflectant, natibuſque humi concidant. Ubi autem perfecta in artubus abolitio motûs, miſerando hercle! ſpectaculo, artus, veluti emortuæ partes, trunco hærent; & re tandem pluſculùm in melius vertente, aliqualis, iſque admodùm obſcurus, motus paulatim deprehenditur in humeris atque femoribus; dum interea perſeverat, pertinax diu, Paralyſis iiſdem, quas mox narravi, partibus. Tum ſimul *Eminentia duriuſcula*, mobilis tamen plerumque, ſex ſeptemve ut plurimùm lineas lata, obſervatur prope Carpum, in medio Metacarpo, eo præcisè loci, ubi Radialium externorum tendines capitibus oſſium Metacarpi inſeruntur, Extenſorque digitorum communis annulari ligamento emerſit.

Horum phænomenon explicationem ſubnectere adnitar. Ac primò quidem humorum acredine non emendatâ, imò præ morbo inveteraſcente vehementer auctâ, veri illi ſcorbutici dolores artuum, quaſi ima oſſium meditullia obſidentes, percipiuntur, & oleum celluloſum in artubus conſumunt. Deinde quum tot diebus, tot ſeptimanis, imò tot aliquando menſibus, miſerrimus æger torqueatur, nec toto illo tempore

ferè ſumere quidquam, quod non actutùm revomat, poſſit; profectò novi chyli vix tantillum inquilino admiſcetur ſanguini. Acrior hinc fit in dies ſanguis, vix quidquam ultra ſecernit, ferè nullos ſpiritus gignit; quam ob cauſam omnia collabaſcant neceſſe eſt. Quin & ſuboriente Paralyſi partes à ſpirituum promptuario remotiores longè minus ſpirituum adipiſcuntur; unde & artuum extremorum major intelligitur Paralyſis. Quam ob rationem porrò expoſitis ſupra Muſculis præ cæteris manifeſta ſit, difficilioris indaginis eſt. An Nervus brachialium tertius, qui *Circumflexus* vocari poſſet, & ab *Euſtachio* Tab. 19. n. 2. 45. & Tab. 20. n. 2. 43. delineatur, necnon à *Columbo* Libr. 8. ritè deſcribitur, lucis nonnihil adferet? Is quippe tranſit ſub axillâ, & circumflectens ſeſe circum poſteriorem oſſis humeri partem, capita Tricipitis Extenſoris perforat, deinde emergit in cubitum, longoque itinere procedit ſub Supinatore longo, ac tandem emergens fit ſubcutaneus in dorſo manûs, inque plures dein digitos terminatur. Num ergo tortuoſum iter, quod præ cæteris hicce Nervus metiri cogitur; & partium, quas circumire perforareque debet, ri-

giditas, obſtaculo ſunt, quò minus ille ſpirituum, præ reliquis, excipiat? At verò cur Paralyſeos in pedibus ſimilis deprehenditur modus? Certè Nervus cruralis, quem antequam inguine egrediatur, Iliacum vocant, ortus ex tribus vel quatuor nervis Vertebrarum Lumborum, per medium Pſoam tranſeuns, ad femur pergit, inque Muſculos anteriores femoris ac tibiæ diſpeſcitur. Utique hic Nervus in hâc abdominis torturâ & coarctatione vehementer comprimatur neceſſe eſt, hincque præ cæteris intelligitur langueſcere. Porrò *eminentia mobilis* de quâ dixi, in Metacarpo hærens, videtur dicenda *Vitioſa mutatio* membranæ, ipſum digitorum extenſorem involventis. Hæc tamen motui exercendo plerumque non officit; quum plures viderim, qui quarto, quintove poſt ſanatum morbum anno, ſuperſtite hâc eminentiâ, ſubtilioribus motibus manu exercitâ peragendis omnino eſſent. Non recordor ullibi hujus tumoris ad Carpum in Paralyſi me mentionem legiſſe, niſi apud ſolum *Platerum* in prax. tom. 1. pag. 300. qui eum oriri cenſet, vel ab extenuatione circumjacentium partium, ſolis prominentibus oſſibus, & jam majorem præ

ſeſe ferentibus extuberantiam; vel etiam à Callo, Nodove, hîc loci frequenter enato. Verùm tom. 3. pag. 209. 210. cenſet nodos hos immobiles eſſe, quia ſubjectis oſſibus inſiſtunt firmiter, eoſque, ſi articulos occupent, motui eorumdem obeſſe. In binis hominibus tumorem hunc primò mobilem, deinde immobilem, deprehendi, eumque motui aliquantulùm officere; in reliquis inveni mobilem, nec motus turbantem. Magnus *Boerhaavius* Brachiorum Pareſin explicat ex communicatione, quâ cum Nervis per abdomen diſperſis communicent in collo Nervi Brachiales. Quid porrò eſt, quod hâcce communicatione Nervi Octavi paris impertiuntur Brachialibus? Vel quâ ratione per Octavum dolore agitatum, creare Paralyſin Nervis Brachialibus, cum ſeſe communicantibus, poteſt? Et quomodò tunc peculiaris pedum explicanda Paralyſis? An quia Cerebrum tantam ſpirituum copiam in principio abdominalibus largitum partibus, ut deinceps Nervis Brachialibus ſpiritu replendis propè impar ſit? Hoc iterùm vix admitti poterit, cum in Ampliſſimo Viro poſt colicos dolores admodùm mediocres, dira & diuturna Paralyſis ſubſe-

quuta ſit. Imò, citra notabilem doloris paroxyſmum, in alio manuum Pareſin obortam vidi: ſed ambo hi erant omnium macilentiſſimi, & peſſimè ſcorbutici. Profectò infinita ſemper reſtabunt, hanc in rem diſquirenda. Mutuum Nervorum commercium adeò mirum ſummus Creator fabrefecit, ut Nos, miſelli homunciones, dies noctesque illud rimati, magis intelligamus magiſque, quot & quanta ſint quæ ignoramus. Forſitan tamen prior explicatio, quam etiam ex *Boerhaavii*, id eſt, Naturæ ipſius, principiis dedi, nonnihil veri habere deprehendetur.

Tandem pro malorum cumulo *homines conſumptâ omni fermè pinguedine, ſceleti inſtar, emaciantur.* Ratio 1. eſt, Miſſio ſanguinis, validaque humorum ſubductio ope fortiſſimorum Purgantum & Enematum, quæ ſæpè perperam fit ad alvum continuò ſollicitandam: hinc fit ingens humorum per inferiora amiſſio, interea dum dura illa huic morbo propria Scybala perpetuò adeſſe, & in liquidioribus fæcibus ſæpè fundum petere obſerventur. 2. Quia ab prædominante Acrimoniâ dudùm defuit corpori oleum illud, quo alioqui pingueſceret. 3. Quia in hoc morbo homines

tanto tempore alimenti vix quidquam ſumere queunt. 4. Quia Vigiliæ perpetuæ adſunt. Rectè enim *Ovidius* : » *Attenuant vigiles corpus miſerabile* » *curæ* «. Nam præcipuam cauſam ponunt emaciationis. Vigiliæ auctæ & protractæ perſpirationem augent, tenues difflant ſpiritus, corpora exſiccant. Sequitur hinc humorum tum incraſſatio, tum Acrimonia ; ſtimulantur hinc ſolida, unde motus augetur ; Febris oritur, calor, ſolidorum detritus, Bilis exaſperatio, Bilis atræ generatio, agitatio, evacuatio : hinc Triſtitia, Deliria, Phantaſia : quæ pulchrè tractantur apud *A. Kaau Boerhaave* in tract. doctiſſimo *de impetum faciente*. Concurrentibus itaque his quatuor cauſis, ceſſat tanti marcoris admiratio. Interim hoc notant Authores, quòd pingue manuum pedumque hîc ita præ cæteris pereat, ut nudis ferè oſſibus hæreant rigidi tendines, emaciatique Lacerti. An ratio eſt, quòd manibus ac pedibus plerumque minor pinguedo adſit, hancque ob cauſam conſumpta illa majorem extenuationem præ ſeſe ferat ? Difficilis explicatu nodus hic foret, ſi paſſim obtineret caſus : at verò quoſcumque ego vidi & examinavi, in iis eorum

nihil; at in pleriſque corporis partibus ſummam ubique macilentiam deprehendi. Sed nonnullis ferè totus Deltoides præprimis periiſſe videtur. Num id à decubitu? Cæteroqui Muſculi vix perire videntur, etiam in ſummâ Phthiſicorum macie. Collabaſcunt tantùm, & fibris fibræ accreſcunt, conſumpto oleo vaginæ, involventis totum muſculum, & ſingulas fibras.

## §. VIII.

Curatio, ac primò quidem quæ naturâ fiat. Curatio quæ arte fiat.

Ad Curationem quod attinet; ea attentionem requirit ad ea, quæ, incognito morbi remedio, vel quæ deficientibus Medicis, Artiſve adminiculis, obſervata ſunt ſpontè fieri & prodeſſe: Hæc dedêre primam Lucem artifici, quam juxta curam dirigeret. Hæc illa magna Sapientia, Abſtinentia, Continentia *divi Hippocratis* in curâ Morborum. Obſervabat ille ſemper quid Ægro acciderat decumbenti, ubi Artis auxilia non aderant. Hocque fundamentum haud minimum Medicinæ inveniendæ, & deinceps in Artis formam ducendæ, fuit.

Primò itaque profuiſſe obſervatur ſpontanea, eaque copioſa, ac diuturna alvus. 2. Menſes, 3. Hæmorrhoides, 4. Narium Hæmorrhagia, 5. Sudor.

*F. Citeſius*, opere antea citato, notat quòd, » ſi alvi ſpontaneum & liberale » profluvium accedat, omnem Paraly- » ſeos, atque Epilepſiæ, reliquorum- » que graviorum ſymptomatum, occa- » ſionem præripiat, aut, quod rariùs » fit, Hæmorrhois vel Menſtruum co- » pioſiùs fluat «. Quas tamen evacuationes ſi in violentiâ morbi in decurſu ſuo ſiſti contigerit, morbum eò atrociorem reddere animadvertit. *Piſo* Sudores memorat & Hæmorrhagias, quæ hos colicos dolores nonnunquam ſolverint.

Namque alvi torpor quò citiùs in fluorem liberalem mutatur, eò breviores tutioriſque ſpes curæ eſt. Significat quippe Spaſmum ſolvi, atque ex affuſis humoribus inquilinis corporis, vel etiam ex potu aſſumpto & retento fæces liquidas reddi, aptaſque quæ expellantur. Eſt ejuſmodi Diarrhæa in causâ ut, evacuatis Inteſtinis, liberiora jam fluctuent Lacteorum oſcula, utque denuò ingeri alimenta, ſubigi, digerique, & intra humorum maſſam duci commodiùs queant. Hoc præeunte profluvio,

fluvio, poterit pergere Medicus ad ea, quæ naturalem mollitiem Inteſtinis reſtituant, humorum debellent Acrimoniam, & novo Chylo ſpoliatum exſaturent cruorem. At verò mite admodùm oportet eſſe hoc Colicæ genus, quòd ſic ſolvi contigerit, ut ex Cauſæ proximæ explicatione facilè quis deducet; rarioreſque fuiſſe, qui ſic ſoluti ſint, Caſus, concludere fas eſt.

Cæteras evacuationes quod ſpectat, hæ procul dubio utiles eſſe poſſunt, ſi conſiderentur abundè id facere, quod cæteroqui S. M. Nam largus Menſium, largus Hæmorrhoïdon fluxus, Abdomen ipſaque inteſtina plurimo exonerant cruore, aptiuſque ſpatium vel alvo ſpontaneæ, vel Enematibus, conciliant. Narium Hæmorrhagia onuſtum cruore Encephalon liberat, quo Amauroſis, Surditas, deliria, Convulſiones, futura præcaveantur, nata verò brevi ſolvantur. Sudor obortus craſſos attenuari jam humores, aptoſque, qui evacuentur, reddi: ſed Liquidi boni plurimum jam aſſumptum eſſe, retentumque, & cum humoribus miſtum atque ſubactum: alioquin enim Sudor minimè levans, ſed morbi augens cauſam, foret.

Verbo itaque dixerim raros admo-

dùm exiſtere caſus, quibus hæ evacuanes contigerint, & uſui fuerint; ut ſpontè fatentur qui eos caſus tradidêre Authores, ipſaque proxima morbi cauſa docet. Morbus plerumque naturâ major eſt, longèque pertinacior, quàm ut hiſce evacuationibus judicetur. Qui verò ſic judicati ſunt, hos quidem veræ *Colicæ Pictavienſis* appellatione inſigniendos minimè autumo: acutas potiùs Febres ex Inteſtinorum aliarumve contentarum abdomine partium inflammatione natas fuiſſe reor; quibus ejuſmodi evacuationes ſalutares & criticas extitiſſe, poſt ipſum *Hippocratem* per omnia deinceps ſæcula Medentes obſervarunt. Optimas tamen haſce evacuationes eſſe in verâ *Pictonum Colicâ*, ut ſoluti aliis viis morbi ſigna, vel ſolvendi adminicula, ultro fateor.

## §. IX.

### Curatio quæ Arte fiat.

*Colica Pictonum* requirit citiſſimè validiſſima remedia, quibus cauſa proxima, quam pag. 29. explicavimus, tolli queat.

Si itaque vires validæ ſint, venæ ſectio

inſtituatur, eaque pro rerum repetatur conditione; ut humorum appulſus versùs ſuperiora tollatur, præcaveanturque ſequuturæ alioqui Amauroſis, Aphonia, Convulſio.

2. Venter mox involvatur Epithematibus paratis ex Lacte dulci, cui ſapo *Venetus*, & herbæ leniſſimè ſtimulantes, v. g. Sambuci, Chamomillæ, Meliloti, flores: folia Hederæ terreſtris, Meliſſæ, &c. ſi haberi queant, recentes, intabuêre: vel etiam Cataplaſmatibus, quæ, cum farinosâ & mucilaginosâ parte, etiam hoc leniſſimo aromatico ſtimulo gaudeant: ſcopus enim horum eſt emollire omnia & humectare, tum etiam blando ac grato ſtimulo leniſſimum motum inducere. Hoc modo nupta farinoſis aquoſa, calidè adhibita, fibras ſpaſmo conſtrictas humectant, fovent, laxant: his parcâ manu juncta leviſſimè ſtimulantia, lenem motum fibris Inteſtinorum conciliabunt, quo illæ incluſum fugent hoſtem. Nec eſt quòd quis dubitet, num illa ſeſe per abdomen penetrent. Vis Emplaſtrorum Ventri applicatorum, nota omnibus, hoc demonſtrat, maximè ſi Ventrem gracilem eſſe contigerit, quod paſſim in acri temperamento obtinet. Artha-

nitæ unguentum manifestò noscitur externo applicatu emollire infarctum abdomen, alvum sollicitare, expellere vermes. Verùm incassùm adhibebuntur omnia, ni simul ore anoque, data & applicata remedia duras fæces exsolverint. Hinc omnia externa simul applicanda, internaque auxilia.

3. Itaque Enema paretur emollientissimum, ex decoctis Althææ Radicibus, floribus, foliis; vel maximè ex tepido Lini oleo, quod tam egregiè contractas fibras laxat, & duras emollit fæces. Hujusmodi clysma ter, quater, quinquies, sexies, 24. horarum spatio est repetendum, etsi oleum conspurcatum exierit; nam *aqua cavat lapidem non vi, sed sæpè cadendo.* Ani constrictio prudentem requirit Artificem, qui enemata injiciat; poscitque utilitas modicam injiciendi liquoris copiam, quum alioqui, præ constrictis abdomine & Intestinis, vix immissus elabatur, nihilque afferat opis: unc. ergo sit quinque, sex, septemve. Juvat quoque tepidæ vapori corporis inferiora exponi, ani relaxandi gratiâ.

4. Ore sumantur, ut ut reluctante vomitu, remedia emollientissima, quibus dicta in Arte Eccoprotica jungantur.

Manna & Caſſia hîc uſui ſint. *Caſſiæ* pulpa innoxium purgans, ſolvens, non turbans, (niſi quandoque in Hyſtericis, ut *Ballonius* advertit,) ipſarum puerperarum purgans audit; quia his mirè confert, quæ ab aggeſtis induratiſque fœcibus ultimo graviditatis tempore malè torquebantur. Mitis adeò Caſſia eſt, ut *Sanctorius* experimentis edoctus pronuntiet, ab eâ perſpirationem non diverti, nec vires lædi, ſed ſolum inutile pondus à corpore auferri, Aphor. Sect. 1. nº. 58. *Manna* in *Calabriâ* ex Orno, Ornogloſſo, Fraxino, exſudans, huic ſimilis eſt, ſed majori doſi exhibenda. Hæc deſtillatione reſolvitur in oleum & ſalinam partem: unde conſtat eſſe ex oleo & ſale compoſitus verus ſapo, abſtergentis, ſolventis, lubricantis quid habens. Nonnullis inſtar Jalappæ potenter, ſed blandè, ſolvit alvum. Si itaque *Caſſia* vel *Manna* ſocientur cum Decocto v. g. *Petri Foreſti* dicto, quod videſis apud *Foreſtum* Libr. 24. obſ. 23. vel cum Decocto *Althææ*, *Graminis*, *Scorzoneræ Radicum*, *Taraxaci* totius, &c. habebitur optimum demulcens, emolliens, ſolvenſque Remedium. Quamvis ſemel iterùmque nauſeabundi ægri illud evomant, magno

tamen animo pergere conentur, quum repetito uſu commodiùs poſthac retenturi ſint. At parcâ manu Eccoprotica ſolventia exhibuiſſe frugis vix ullius erit; unde liberali admodùm exhibere illa oportet. Pintæ Decocti, duodecim horarum ſpatio abliguriendæ, iij. iv. Mannæ, vel ij. iij. Caſſiæ uncias addito. Mannæ autem primas paſſim deferimus, quia minùs nauſeabunda, ubi diluitur, quàm quidem ſtocculenta Caſſia.

Sin verò ſcopo minùs ſatisfecerint, penetrantiora mox iiſdem jungantur, v. g. Folia *Sennæ* ad dragmas vj. vel unciam integram. Veteribus laudabantur folliculi *Sennæ*, quos & *Galli* foliis præferunt, tanquam minùs torminoſos: foliis nos utimur. Paſſim præſcribimus *Aſiaticam Alexandrinam Sennam*, foliis acuminatis, utpote *Italicâ* obtuſo folio præſtantiorem. Sed Nauſeam illa plerumque creat aſſumenti; quam Celeberr. *Boerhaavius* additis *Betonicæ aquaticæ*, ſive *Scrophulariæ quartæ* FIBROSÆ dictæ foliis, egregiè emendari cenſet. Acta *Pariſina* idem habent. Habet quidem nauſeoſum hæc *Scrophularia* ſaporem, ac lenem acredinem copioſæ mucagini unitam; ſed *Sennis* ad quattam partem addita, nauſeoſum earumdem

ſaporem, hoſtemque Nervis acrimoniam, multùm emendat. Id autem utilitatis involvendone, an aliâ peculiari ratione præſtent, non determino. Quòd ſi *Scrophularia* deſit, *Fæniculi* ſemina addita quoque nonnihil proſunt. Ejuſmodi decocti unc. ij. aliquando integris triduis quatriduiſve, quâvis horâ, dare oportuit, priuſquam alvus ſoluta eſſet; etiamſi Enemata continuò applicarentur. Uſum tamen horum remediorum pertinaciſſimum poſcit negotium, donec tandem alvus obaudiat; quandoquidem ſegniùs tractata ægritudo, mox peſſimis ſtipetur ſymptomatis.

Contingit aliquando ut, vel præ horrore naturali, vel præ ægrorum moroſitate, vel etiam præ invincibili nauſeâ, abſoluta ſit ingerendi Decocti impoſſibilitas. Hujus proin loco ſubſtituuntur Pilulæ, paratæ ex *Gummi ammoniaco*, *Rheo*, *Sapone Veneto*, *Sale neutro*, &c. quæ, ubi ptiſana, aliove idoneo facilè ſumendo vehiculo ſumuntur, etiam humectandi, emolliendi, diſſolvendi, blandè ſtimulandi vi pollent egregiâ, & peculiari acrimoniæ è directo opponuntur. At ut Decocti laxantis, ita & harum Pilularum aſſiduus eſto & copioſus uſus; ut dragma una alterave

ſingulo Nycthemeri ſpatio abliguriatur. Harum tamen incertior eſt, quàm Decocti, eventus.

Dum igitur ſic internus Venter externuſque laborioſo opere emollitur, laxatur, ſtimulaturque blandiſſimè, dum induratarum fæcum pars emollita ſolvitur & liquefit; alvus primò prodit in ſtercoreâ materie ſolutiore gerens multa, exigua, dura, albeſcentia, rotunda, Scybala: quæ Scybala lapſu temporis eò prodeunt rariora, quò ægrorum res magis magiſque in melius vertuntur.

5. At verò cautela, nunquam negligenda, horum ſub uſu requiritur. Vigilias quippe adeſſe perpetuas dixi, earumque tum originem, tum effectus, expoſui. Vomitum quoque vidimus ſæpè impedimento eſſe, quo minùs aptè ſumi tum alimenta, tum medicamina, queant. Tandem conſtitit genus nervoſum immani dolore ſic ſæpè affici, ut Convulſione torqueatur. Hinc ſumma exſurgit *Opii* exhibendi neceſſitas, quum ſpontè pateat illud his tribus indicationibus ſatisfacere. Nec eſt quod alvi pigritia ne hinc oriatur quis timeat: quum conſtiterit ſatis abundèque opio ſic diſponi Ventriculum, ut nauſeoſa aſſumpta commodiùs retineat. Egregius *Sy-*

*denhamus* in *Scedulâ monitoriâ* & pluribus aliis locis, si Vomitus in passione iliacâ medicamenta purgantia respueret, audax Paregorica dedit, &, re id poscente, repetiit; donec Ventriculo purgantia admittente & retinente, alvus posthac demitteretur. Opium quoque antispasmodicorum princeps spasticam Nervorum contractionem egregiè solvit. Hinc gr. unum alterumve 24. horarum spatio, pro majore minoreve necessitate, poterit propinari.

6. Ex usu erunt Epispastica fortiora pedibus, Vesicantia cruribus, Methodus *Asiaticorum*, *Japonensium*, *Javanensium*, &c. in persanandis Colicis ustione, acrium applicatione, punctione, dolorem in sanis partibus felici rerum successu excitans, abundè hoc probat. Vid. Nobilissimi *Gerardi wan Swieten Romanorum Imperatricis, Hungariæ & Bohemiæ Reginæ, Primi Medici & Protobibliothecarii*, Commentarium in §. 650. Aphorism. *Boerhaavii*. Sicque forsan *Hippocratis* Aphorismus 46. Sect. 2. » Duobus doloribus simul obortis, » non in eodem loco, vehementior » alterum obscurat « intelligendus est.

7. Vinorum usu ægris hisce minimè interdicatur, ubi malum remitti non-

nihil cœptum. Docuit hoc & ipſe rerum eventus & ratio. Vir olim podagricus, & jam *Colicâ Pictonum* dirè tortus, bis ter de die hauſtum vini calidum largiorem, me inſcio, hauſit, nec detexit rem, niſi in vado conſtitutus. Alter itidem vino albo *Gallico* utebatur, poſtquam alvus per aliquot dies ſolutior contigiſſet. Rei gnarus, tamen diſſimulans, cavi ſedulò ne darent quid nimis. Videbam hoc auxilio Rheumaticam & podagricam materiem diſponi, ut blandâ Diaphoreſi eliminaretur; corpore priùs liberiore alvo gaudente, & Liquidis plurimis irrigato: conciſas quoque vires hinc reſtaurari citiùs; & Ventriculi debilitatem ſic emendari, ut appetere denuò ille, ſubigereque alimenta & digerere poſſet.

8. Plerumque fit ut, alvo ſat bellè fluente, dolores tamen vix remiſſi recrudeſcant. Nempe ad minimam quietem grandioris molis ſtercoreæ materiæ, vel alimenti durioris, prioris ærumnæ renaſcitur imago; eaque, ni promptè medeamur, recidivam brevi creat. Hinc ex Paregoricis & laxantibus alternata ſeries juvat, & tum mox Antiſcorbutica erunt in opem vocanda. Acrimoniam enim Scorbuticam, eamque in

primis acescentem frigidam, inter morbi proëgumenas causas locavimus, & fœcundam Recidivæ exposuimus matrem. Radices Lapathi acuti, Bardannæ, Taraxaci cum totâ plantâ, Scorzoneræ: Herbas Becabungam, Nasturtium aquaticum, Trifolium aquaticum, Fumariam, Melissam, &c. formâ succi expressi, decocti, conservæ, &c. parandas, dare jam expedit. Nasturtium hortense, Raphanum, Raphanum rusticanum, Cochleariam, Erysimum, Synapi, Allia, Cæpas & id genus plura, studio omittimus, utpote stimulo nimio tenera vasa forsan læsura.

Quippe inest lenioribus antiscorbuticis dictis herbis verus Sapo, seu vis blanda saponacea, oleo, seu mucagine, constans, & Sale volatili: hinc verò usu deprehenduntur crassiorem in Scorbuticorum humoribus partem saponaceâ virtute solvere, tenuiorem oleoso lentore incrassare, & sale suo alcalescente, unito cum sale accescente humorum, neutrum componere salem, hâcque ratione funditùs eradicare Scorbutum.

9. Interea verò, dum sub horum usu spirituum tumultus, Spasmi hinc inde, Borborygmi, & flatus fiunt, maximè quidem in iis qui nimiâ spirituum mo-

mobilitate olim laborarunt; lenia quandoque neurotica paregoricis juncta propinentur, quibus inordinati motus redigantur in ordinem.

10. Porrò debili manente corpore, etiamsi expositâ methodo omnia perbellè procedant, Roborantium usus poscitur. Frequens enim debilitas solidorum tum à curatâ *Pictonum Colicâ*, tum à sanato Scorbuto, residua. Cappaiis, Acetosæ Radices, Tamarisci & Kinæ Cortices, Ferrum, Vina austera nigra & rubra, vitia solidorum emendant, ut Antiscorbutica fluida correxerant. Quin Aquæ *Spadanæ*, cæterique medicati fontes, ab allegatis laudati Authoribus, summi usûs sunt. Sic tandem curati plerique recidivis carent, ni mores obtineant antiquos.

Interim tamen alvi semper ratio habenda est maxima; quum existente illâ vel paululùm segniore, illicò veteris mali ceu reliquiæ animadvertuntur, & forsan futuri mali semina. Hinc Enemata, vel Eccoprotica adibeamus, ut illa porrò restituatur. Hanc monelam aspernati, deplorabimus seri negligentiam.

11. Ubi vis morbi aliquantùm deferbuit, emollientium ventri applicato-

rum parcior, ſtimulantium verò & roborantium, liberalior ſit uſus; ut, alvo jam liberâ, Inteſtinorum fibræ magis ſollicitentur magiſque, quo in contentam, & de integro jugiter appellentem materiem, ſtabili agant operâ; ne unquam noxiæ collectiones denuò alicubi figantur. Quin etiam quò roboris plus hi Nervi nanciſcuntur, eò citiùs atque feliciùs Chylopoieſeos & Inteſtinorum vitia reſtituentur in integrum. Fumus aromaticus, nervis amicus, Maſtiches, Myrrhæ, Olibani, Thuris, Sarcocollæ, Benzoin, Ladani, Styracis Calamithæ, pannis exceptus laneis, optimi usûs eſt. Emplaſtra ex ſimilibus, toti ventri applicita, egregia præſtant.

12. Sin autem vel præ vi mali, vel præ methodo præpoſterâ adhibitâ, Paralyſis ſuboriatur; hæc præter Antiſcorbutica, præter Roborantia, & etiam præter Nervina dicta, toti applicata abdomini, requirit quoque attentionem ad reſoluta membra. Quamvis enim abdomen, proximam mali cauſam continens, ritè curatum ſit, manet ſæpè labes in artubus, nonniſi longo poſtmodùm tempore devincenda. Hinc ipſis vitioſis membris nonnulla eſt faciendа medela. Fit hæc vel Nervum huic parti

proſpicientem loco idoneo ( ubi , etſi remotiùs , minùs tamen rectè hæret, ) fricando, motitando, concutiendo , vellicando , afficiens ; vel ipſam Paralyticam partem variè agitans.

Loca porrò idonea ſunt :

A. Ad *Lumbos*, unde tot nervi varii egreſſi , unà cum nervis anterioribus oſſis ſacri , componunt magnum illum Nervum Iſchiadicum : unde præterea, ſcilicet ex tribus quatuorve Lumborum Vertebris, Nervi oriuntur , mox compoſituri Nervum cruralem.

B. Ad *Nates inferiores* , ubi gluteorum maxima jam decreſcit craſſities ; ut enim adhuc ſat profundè hæret Iſchiadicus Nervus , tamen Actio penetrantium remediorum eumdem afficere obſervatur ; præſertim quum plurimis ejus ſurculis ad exteriora pergentibus , vis applicatorum ipſo cum nervo communicari queat.

C. In *Poplite* , paulò ſupra binos Condylos oſſis Femoris ; ubi à Compreſſione alterius ſupra alterum genu ingratus ille ſtupor oritur.

D. In *Inguine* , ubi Cruralis Nervus prodit foràs.

E. In *Collo* , ubi Nervi Brachiales ex vertebris prodeunt. *Galenus* Lib. 1. de

loc. aff. cap. 5. narrat *Pausaniam Syrum*, qui in tribus digitis servato motu sensum amiserat, è medicamentis satis idoneis, per 30. dies impositis, nihil opis sensisse. Hunc, quum *Galenus* à vehiculo in dorsum prolapsum esse sciret, suspicatus est, num fortè in primo exordio nervi, post septimam Vertebram oriundi, pars quæpiam ab ictu inflammata fuisset, nuncque Scirrhosam haberet dispositionem. Ideòque illud ipsum medicamentum à digitis amotum, illi spinæ parti apposuit; unde digiti læsi cum omnium admiratione restituti sunt.

F. In *Humero externo*, paulò supra Cubitum, sub insertionem musculi Deltioidis, ubi tertius Brachialium Nervus maximè nudus hæret.

Igitur hisce locis explicatis poterunt Dropaces, Sinapismi, seu Phœnigmi, & Vesicatoria applicari; ut sic concussus iritatusque truncus nervi major, motum oriundis à sese nervis impertiatur; & ut obstructiones hinc inde Nervorum occupantes involucra, discutiantur, deopilentur.

Dein partium ipsarummet paralyticarum, summè emaciatarum, & exsiccatarum, emollitione primò, frictione

poſtea & roboratione, multùm proficimus. Etſi enim præcipua malorum in abdomine ſit emendenda origo; nihilo ſeciùs ſi partis paralyticæ, quod ſæpiùs fit, Tendines ſint cum vicinis concreti, ſi nervuli per *Thliꝑſin* anguſtati renaſcentibus appellentibuſque ſpiritibus transfluxum denegent, profectò tunc expoſitâ operâ concretiones & compreſſiones ſolvi poterunt, quò demùm ſpiritibus & ſanguini liber aditus pateat; & membranæ adipoſæ celluloſæque loculi, *Synizeſi* incipiente ferè deſtructi, aperiri, à ſe invicem dimoveri, aptarique ad oleum à ſanguine denuò excipiendum, queant.

Tandem monuiſſe ſuffecerit, quòd ex naturâ mali abundè conſtat, aërem toto curationis decurſu moderatè calidum, ratione anni tempeſtatum, ſervari oportere; ſiquidem ægri alioqui vel minimæ ejus in frigidiorem mutationis pœnas luunt.

Paucorum annorum ſpatio ægros hacce ratione inviſi numero novem: quorum nonnullis ab ipſo rei exordio affui, aliis autem ſeriùs; ubi aliâ methodo tractati adhuc peſſimè cum morbo luctabantur, vel ubi vix paululùm emerſi, recidivam patiebantur crudeliſſimam.

Ad plures abiit una, quæ multas ob rationes legitimè tractari non potuit; alterque ob manifeſtam recidivam paſſus eſt, quâ etiam emerſus, incipit ſaneſcere. Reliquos omnes ſanitati reſtitutos integræ, ſummo Numine adſpirante, lætus ſaluto.

Diaria addere, quæ ad amuſſim quidquid, à calce ad metam, in omnibus hiſce ægris factum obſervatumque fuerit, referrent, animus tulit. Rei quidem, de quâ agitur, Veritas, ipſomet uſu comprobaretur: at verò hæcce Opellæ noſtræ conſultò detraxi; ne forſitan quis ægriùs ferret, ſui morbi hiſtoriam, ut ut cautè deſcriptam, publicè in hâc Urbe prodi.

Penſum ergo me abſolviſſe reor, &, quæ fidelis obſervatio docuerat, publici feci juris. Eia! nunc genuini *Apollinis* Filii! velitis, quo eſtis candore, colligere inſpicereque, quæ in hanc rem congeſta à Vobis, quæque obſervata fuerint. Aliis ejuſmodi ægris deinceps medentes, & veſtra, & mea, ad ſeveriſſimam revocetis trutinam; & quæ tandem tuta Vobis, quæ vera viſa ſint, ne Orbi languenti ſordidè invideatis. Veſtris ſic mea emendantes, talem tan-

dem Methodum concinnabitis, quâ & huncce morbum ad eamdem, quâ plurimos, ſimpliciratem, reduci, & poſſe, & debere, conſtabit.

*F I N I S.*

Zyti mnichów
polskiego szpaci
[illegible]
po [illegible] indzienn. p 180 [illegible]